SACERDOS

SACRÆ FACULTATIS DOCTOR

IOANNES FRANCISCUS

MOLINARI

a Corio in Canapitio

IN VENERANDO METROPOLITANO SEMINARIO

STUDIORUM PRAEFECTUS

UT

IN AMPLISSIMUM THEOLOGORUM COLLEGIUM

COOPTARETUR

IN REGIO TAURINENSI ATHENÆO

ANNO MDCCCXLV, DIE XXIV APRILIS,
HORA IX MATUTINA.

Facta cuilibet a sexto argumentandi facultate.

TAURINI

EX TYPIS ZECCHI ET BONA.

DE DEO EIUSQUE CULTU

ET FUNDAMENTIS RELIGIONIS REVELATÆ

I.

Quamvis philosophia maximum sit donum a Deo hominibus datum, eius tamen abusus procul ab omni veritatis specie mortales ducit, et maximum detrimentum rebus omnibus affert. Hanc veritatem, malo licet omine, probarunt illi philosophi, qui novis inventis, gloriolam aucupari cupientes, eo tandem devenerunt, ut omnia sacra, et profana everterent, atque ne illud quidem compertum haberent, utrum ipsi viverent, et cogitarent. Quamobrem ut ordine nos progrediamur, ac errores quosque radicitus excutere possimus, ab iis quae nobis viciniora sunt exordimur, ut ex iis ad supremi Numinis existentiam, eiusque cultum demonstrandum, de quibus in animo est disserere, iustum, certumque gradum faciamus: haec enim arctissimo nexu ita cum philosophicis veritatibus devinciuntur, ut istis summotis, et illa proprio veluti pondere ruant.

Homo praestantissimum Dei Creatoris opus pluribus facultatibus est instructus, sensibilitate, intelligentia, libera voluntate, ex quarum evolutione plures aliae fluunt, quin ad solam physicam sensibilitatem possint reduci, ut Condillacus commentus est. Intelligentia enim, libera voluntas, et quae ex his manant facultates activae

sunt, sensibilitas autem passiva. Nemo deinde ignorat attentionem, iudicium, ratiocinium, et illarum facultatum complexum quibus voluntas componitur ad sensum pertinere non posse. Intelligendi vi praeditus homo veritatis est capax, eamque assequi potest; neque enim frustranea est illa mentibus nostris indita insatiabilis cupiditas veri videndi. Haec scepticismum ab imis suffodiunt; nam ut acute Rosminius qui dubii universalis systema profitentur ne propriam quidem doctrinam enunciare, aut integram, et completam cogitationem conficere possunt. Veritas autem quippe obiectiva ab homine non pendet, sed immutabilis est, necessaria, universalis, absoluta. Quare concidit absurdum Protagorae effatum: omnem veritatem relativam esse, Gorgiae rati: nihil posse cognosci, imo nihil existere, Pyrrhonis, utriusque posterioris Academiae, Sexti Empirici, aliorumque placita, qui vel stipitem hominem fecerunt, vel ita versatile, et inconstans eiusdem ingenium, ut quod uni verissimum est, id alteri sit aequo iure damnandum.

II.

Sed si quid certum, illud profecto est primum animum nostrum existere, qui nullo alio rationis principio interposito, nullius ratiocinationis ope, sed omnino directe suae existentiae ideam percipit, et qua veritate denegata nulli cognitioni, atque cogitationi locus superesset, tum corpus nostrum, quod ideo iuxta Galluppium ab aliis corporibus distinctum percipimus, quia in illo sentimus, iugiter nobis adest, et simplicis voluntatis nutu quosdam motus gignere possumus, non sic in aliis. At quid de mundo externo? Berkleius Lockiana do-

ctrina recepta, illum inter inanes mentis nostrae imagines fidenter retulit. Fieri enim non potest, inquit d'Alambertus, ut ex sensationibus, quae interiores sunt animi nostri modificationes, et in nobis tantum existunt, res extra nos positas percipiamus, ubi nullo alio ex fonte liceat, quam ex sensibus ideas haurire. Reidius ut idealismum effugeret nos immediate externa obiecta percipere docuit, quin ulla eorumdem idea intersit, quae hypothesis ad scepticismum circa mundum externum, ferrea quadam necessitate nos detrudit. Nec melior Kantii doctrina, in qua dum formae intellectuales, et sensationes ex nobis ipsis educuntur, fundamentum realitatis obiectivae humanae cognitionis convellitur, ipsa plane subiectiva efficitur, ut nihil prorsus de rebus in seipsis affirmare possimus. Nullum ne ergo externum obiectum existit? Non sane: intellectum enim res prout in se sunt percipere; ideis veritatem, et realitatem obiectivam inesse nemo negat, nisi qui earumdem naturam ignorat. Iam vero multa in nobis facta contingere, quorum causa externa substantia est, seu affici nos, moveri, concuti rerum externarum concursu, non praeceptoris voce docemur, sed id quisque experitur; quare vel de omni veritate conclamatum est, vel quae nos circumstant, existant oportet.

III.

Mundi exterioris existentia ad supremi Numinis cognitionem nos ducit, quid enim in hac rerum universitate est, quod necessarium, absolutumque habeat esse, non aliunde receptum, et participatum? Rerum qualitates, vicissitudine, motu, volubilitate monent nos se nulla necessitate naturae subsistere: mutabilitas enim

contingentiam arguit, haec vero entis necessario existentis creationem expostulat. Aut ergo sine causa effectus est ullus, aut ad naturam necessariam deveniendum est, a qua tamquam perpetuo de fonte continenti amne fluant caeterae, vel ut verius dicam, procreentur.

IV.

Sed iuvat ex rerum contingentia ad ordinem, quem tantopere miramur adversarios revocare. Iam vero si nudos ad caelum oculos per amica serenae noctis silentia dirigas, quanta in corporum infinita multitudine magnificentia, quanta in solis et lunae cursibus sapientia elucet! Vidit hoc, penitusque perspexit Voltairius (1) qui licet tot erroribus insignis, verissime tamen existentiae Dei potissimum argumentum in hoc versiculo haberi censebat: « Caeli enarrant gloriam Dei ». Terram ne spectes? Vestita floribus, herbis, arboribus, frugibus mirabili varietate distinguitur. Ipsam aqua cingit, et ubique permeat, quam si tolleres, esset cinerum sterilis congeries. Tanti porro est huius argumenti vis, ut vel ipsi Ethnici philosophi, Sextus Empiricus ex Aristotele, Plato in x libro de Legibus et in Timaeo, Epictetus, Tullius, et alii ordinem rerum, quae etsi contrariis, ac perpetuo secum pugnantibus qualitatibus, et naturis constant, perseverant tamen in omnem temporum longinquitatem, ad supremi Numinis existentiam comprobandam adhibuerint. Quid vero si belluarum instinctus, earumque opificia consideremus, quae tanta sollertia, et arte constructa demonstravit Maclaurinus, ut sublimioribus matheseos quaestionibus adamussim respondeant? Quis, nisi Deus a quo statis

(1) In elementis philosophiae.

legibus diriguntur haec illas edocuit? Arguit enim in fabro, non in se machina mentem, inquit Cardinalis de Polignac in Antilucretio.

V.

Huic demonstrationi accedat et illa, quae ex motu depromitur. Equidem scimus Epicureos olim, et recentiores mechanicae philosophiae restauratores, omnia naturae phaenomena duabus his simplicissimis legibus derivari posse docuisse: « Corpus quodcumque motus, et quietis statum servare nititur: et motus quantitas, pro molis corporum impingentium quantitate communicatur ». Verum videant ne Ancyram navigent. Quam enim temere id fuerit ab utrisque assertum novimus; vixque esse phaenomenon cuius solutionem feliciter tentaverint, non ignoramus. Essentialem ne materiae motum asseris? inertiae vim tollis, sine qua tamen nullae motus leges esse possunt. Cur ubi pares vires mutua collisione effectum omnem frustrantur? ergo vel in infinitum causarum progressum perperam se atheus vertet, vel ad causam simplicem, quae rebus corporeis motum indiderit, deveniet.

VI.

Sed praestat supremi Numinis eversores omnium populorum auctoritate exagitare, quod argumentum quanti faciendum sit, ii tantum non vident, qui pyrrhonismi fuligine conspersi negant interdiu solem, noctu splendescere astra: praestantissima enim ingenia huius argumenti vim agnoverunt, Plato, Aristoteles, Tullius, Seneca et alii. « Firmissimum hoc afferri argumentum videtur, ait Cicero, cur Deos esse credamus, quod

nulla gens tam fera, nemo omnium tam sit immanis, cuius mentem non imbuerit Deorum opinio ». Atqui omni in re, consensio omnium gentium lex naturae putanda est. Revera quis totam humanitatem in iudicium arcesserit, eique reclamare ausus fuerit? Hic profecto, Aristotele magistro, ridiculae temeritatis, insignisque pervicaciae notam haud posset effugere. Veritas enim una est, ut vel ipse scepticus Humius fatetur, multiplex contra error. Nec consensum negare athei possunt; facilius enim est, inquit Plutarchus, urbem invenire muris, litteris, regibus, domibus carentem, quam templis, diisque destitutam.

VII.

Haec quidem iam nos possunt ad supremi Numinis cognitionem evehere; at quoniam tanta est gravitas huius veritatis, ut nulla maior, aut aequa possit excogitari, hinc atheos ad hominis contemplationem provocamus. Quanta porro in illo partium collineatio! quae ars, quam magna perfectio! operis adeo exquisiti spectator obruitur admiratione, et simul prohibere non potest, quin idea causae sapientissimae protinus mentis oculis illucescat. Quid de animo dicam summum aliquatenus opificem referente? tanta est in eo intelligentiae celeritas, ac perspicuitas, tanta voluntatis activitas, ut cogitet, iudicet, praeterita suggerat, comparet praesentia, futura prospiciat (1), et uno actu caelorum altitudinem, abdita terrae viscera, remotissima quaeque percurrat, et rerum sibi ideas efformet, quae corporeos sensus percellere haud possunt. Haec autem tanti ponderis sunt, ut nisi veritatibus omnibus valedicere velimus, conclu-

(1) Tullius, de officiis, lib. 1, cap. 4.

dere debeamus Deum solum animum omni prorsus concretione solutum creasse, et humano corpori animationis causa coniungere potuisse.

VIII.

Existit igitur Deus, cuius agnitio praecipuum etiam est naturalis, et civilis societatis vinculum. Nam pietate in Deum summota, quis adhuc iustitiam colere, omni virium contentione provehere, animo libenti, prolixoque publicae utilitati servire, pro patria labores sustinere, pericula adire, inopes tueri studeret, quae tamen sunt illae eximiae artes, quibus respublicae stant, atque firmantur? Excusso enim Numinis iugo, ut navis discordibus acta ventis, sic mortalium vita contrariis et inter se pugnantibus foedissimarum libidinum flatibus agitata in omnem scelerum, et flagitiorum turpitudinem praeceps ruit, omniaque contra ius, et fas misero miscet tumultu. Nam legum vis, praemiorum illecebrae, poenarum metus, nativa probitatis voluptas, amor gloriae ingenitus optima indoles, caeteraque huiusmodi quibus sat momenti inesse athei putant ad vitam decoram, et honestam agendam, infirma nimium sunt experientia teste honestatis virtutisque praesidia. Quare ridenda omnino est beatissima Baylii respublica, quam totam ex atheis conflatam diu florere, atque consistere posse nugatur.

IX.

Argumenta quibus hactenus Dei existentiam vindicavimus, profecto sufficerent, nisi ab imis illa suffodere niterentur adversarii. Veteribus philosophis rerum creationem ignotam prorsus fuisse fidenter affirmant, absurdam, atque impossibilem iactant; primum non

moramur, siquidem neque omnes philosophi ingenitam materiam praedicarunt, neque omnes illis cognitae veritates fuerunt. Adaequatam ideam creationis ex nihilo nobis efformare non posse fatemur, contradictoriam negamus. Quot enim sunt naturae phaenomena, quae ob oculos nostros obversantur, quaeque non comprehendimus? Nulla ergo in eo est contradictio, ut omnipotenti Deo, et sapientissimo eam tribuamus potentiam, quae in cogitationum nostrarum creatione, et successione quodammodo elucet.

X.

Asserta contra atheos Dei existentia, ad eiusdem investigandam naturam accedimus. Si Spinosam audis, Deus est quodcumque vides, quocumque moveris, quam sententiam ut facilius aliis ingereret quaesitis verborum involucris condidit, et geometrico quodam fuco illinivit. At praeterquamquod contradictorium systema cudit, nam eamdem attributorum, et substantiae notionem tradit, mole illud veluti sua ruit, vel una ambigua substantiae definitione summota, cui totum immane aedificium innititur; neque enim efflagitat ipsa ut a nulla alia re debeat formari, ut Spinosa comminiscitur, sed ut non egeat alio subiecto cui tamquam attributum inhaereat. Caeterum quis ferat teterrimum adeo divinitatis monstrum, in quo perfectiones, et defectus, virtutes, et vitia, repugnantiae demum omnes inveniuntur? Nam si nihil praeter Deum agit, nihil patitur, in partes ergo conciditur, mutatur, polluitur, interit: dum in Cicerone triumphat, adversus semetipsum furit in Catilina, dum vincit in Achille, raptatur bigis in Hectore. Sed haec meminisse horret animus, adeo absurda sunt.

XI.

Non ergo cum mundi machina confundendus est Deus nisi tot velimus Numina confiteri, quot sunt divisibiles materiae particulae. Unus est Deus

> Qui terram inertem, qui mare temperat
> Ventosum, et urbes regnaque tristia
> Divos, mortalesque turmas
> Imperio regit unus aequo (1).

Nam supremi Numinis notio, eam pariter continet perfectissimi entis, atque adeo infiniti; plura autem infinita ne in hominum quidem phantasia esse possunt; ut praeclare enim Caesareus vates canit:

> Ma l'essenze che adori
> Se son più son distinte: e se distinte
> Han confini fra lor. Dir dunque dei
> Che ha confin l'infinito, o non son Dei (2).

Ridenda est igitur tanta veterum gentium in Diis excipiendis liberalitas.

XII.

Sed magis ridendus error Manichaeorum, qui duplicem excogitarunt divinitatem utramque summam, quarum aliam totius boni, alteram totius mali causam fecerunt. Illos uno veluti ictu confodit Angelicus inquiens (3): « Summum malum oportet esse absque consortio omnis boni, sicut et summum bonum est quod est omnino separatum a malo. Non potest autem esse aliquod malum omnino separatum a bono, nam malum fundatur in bono ». Quid si Manichaeorum, et Baylii

(1) Horat., lib. 3, od. 4.
(2) Betul. liber., p. 2.
(3) Lib. 3 contra gent., cap. 15.

hypothesis inepta sit investigandae malorum origini? Atqui duo illa summa principia vel aequam vim et potestatem habent, vel unum erit altero praestantius. Si pari robore pollent, ex opposita virium collisione nullum esse poterit in rerum universitate aut bonum aut malum. Si unum alteri praecellat vel validius est quod malum appellant, et ipso renitente nihil operabitur Deus bonus; si hic praevaluerit de malo quolibet erit conclamatum. Unus igitur est Deus quo permittente mala contingunt.

XIII.

Quare sine indignatione audire non possumus Calvini, Zwinglii et Bezae commentum, qui peccati causam ipsum perpetuum peccati exagitatorem et vindicem, Deum Optimum Maximum fecerunt. Nam fieri non potest, ut prima ipse causa, et regula, defectum atqūe iniquitatem velit. Una humana voluntas, quae insita libertate sua in contrarias, oppositasque partes ferri potest, est mali moralis causa, ut Rousseavius ipse ad Voltairium scribens docebat (1).

XIV.

Deum quem unum tantum esse vidimus, spiritum esse divina oracula clamant. Hinc Antropomorphitarum deliramentum evertitur, qui ex nonnullis scripturarum locis perperam intellectis, Deum membrorum lineamentis definiri existimarunt, et abnormis refellitur opinio Gilberti, aliorumque, qui realem inter divinam essentiam, eiusque attributa, tum inter ipsa divina

(1) Lettre de J. J. Rousseau à M. Voltaire.

attributa absoluta adinvicem distinctionem commenti sunt. Nulla corporis compage coërcitum Deum, infinitum esse credimus; quum enim omnigena perfectione praeditus sit, ipsi infinitatis notio sua sponte accedit. Infinitas aeternitati et immensitati locum praebet. Illam primi principii natura, quod omnium sit causa efflagitat; istam Deo scripturae adiudicant, et ratio suadet, quam Doctor Aquinas ex efficaci divina actione, quae una eademque est cum ipsa Dei natura deducit.

XV.

Infinitum et aeternum Deum, immutabilem praedicamus. Nequit enim aeterna et perfectissima causa modificationes novas, novamque existendi formam excipere. Quamobrem Angelicus, ut omne mutationis principium a divina natura excludat, *omnem potentialitatem cum privatione, et formam quamcumque, quae adhuc acquirenda supersit, et subiectum susceptivum successive plurium formarum removenda* demonstrat. At hisce ne divinorum attributorum numerus concluditur? Non ita: sed felicissimum, et supra omnem cuiusquam machinationem positum Deum iustum, sanctum, veracem summaque bonitate et intelligentia praeditum, qua futura etiam libera, et contingentia certo ab aeternitate praescivit, tum liberrima voluntate donatum iure constituimus; haec enim attributa tum ex divina natura, cum ex eius operibus liquido fluunt, quin divina praescientia humanae libertati noceat, ut censuit Tullius.

XVI.

Divinae bonitatis, et voluntatis idea ad Supremi Numinis providentiam nos ducit. Hanc enim interior na-

turae vox conclamat, sempiternum videlicet esse Dominum, qui legibus aequis omnia temperet, moderetur et regat; hanc historiarum fides testatur; hanc admirabilis rerum pulchritudo, quae quemadmodum haud casu oriri, ita nec casu consistere potest. Defatigatur, ne molestisque, et operosis implicatur negotiis, si cuncta gubernet, hominumque commoda, vitasque tueatur? Dei ne maiestate indignum se se ad omnium rerum etiam viliorum procurationem dimittere? At *num tuus*, praeclare Socrates apud Xenophontem, *oculus ad multa usque stadia pertingere potest, et non potest Dei oculus simul omnia intueri?* Quae tandem naturae pars aut minimi fieri, aut despectui haberi poterit? Num minima? Sed ut Plinio notatum est rerum natura nusquam magis, quam in minimis tota est.

XVII.

Inter creaturas, quas omnes optimus provisor congruis legibus regit, eminet homo intelligentia, et libertate praeditus. Hanc alteram facultatem negarunt Stoici, Astrologi, Manichaei, et magnus recentiorum scriptorum numerus, quos omnes intimus cuiusque sensus, et omnium populorum consensio quae naturae vox est plane revincit. Eamdem libertatem evertunt etiam illi, qui legem cum humana mente quae illam intuetur, creaturam cum creatore confundunt; quos tamen vel una voluntatis humanae definitio abunde refellit: haec enim quippe vis quae in se ipsa propriam legem haud continet (1) illam implere, vel violare libere potest; nam lex a nobis distincta, independens,

(1) Gioberti, Del buono, cap. 1º.

absoluta, non nisi morale vinculum, quod libertati non nocet animis iniicit.

XVIII.

Eodem argumentorum genere Baium, Iansenium, eorumque gregales refellimus, qui ad merendum, vel demerendum nullam aliam necessariam libertatem, praeter eam, quae coactioni opponitur, statuerunt. Nam ubi necessitas, inquit Hieronymus, nec damnatio, nec corona est: et revera ibi ex Angelico incipit genus moris; ubi primum invenitur dominium voluntatis; atqui illorum actuum quos vis electiva non elicit, sed a nobis quantumvis placita necessitas extorquet, nos proprie domini non sumus; imo nec morum regulis dirigi illi possunt. Nulla ergo laus, nulla culpa in genere moris esse potest, sine libertate a necessitate exempta.

XIX.

Principium in homine libera voluntate praedito simplex est. Iners enim materies pro libitu suo velle, se se determinare, atque eligere nequit, quemadmodum animus facit, in quo nihil materiale se prodit. Cogitandi deinde intelligendique facultas, quae materiae repugnat uti quadrato rotunditas, omnem ab animo corpoream concretionem removet.

XX.

Si animus hominis omnis est corporeae concretionis expers, ergo interitu est immunis. Veritatem adeo manifestam et suavem, immortalitatis desiderium, felicitatis cupiditas nunc inexplebilis, et indefinita hominis perfectibilitas, qua fit ut nunquam hisce in terris neque

eius intelligentia cognitionum acquisitione, neque voluntas virtutis exercitio perfecte expleatur, luculentissime probant, conscientiae angores quibus miserrime impii torquentur confirmant. Nam si sanctus, si iustus, et providus est Deus, illum profecto bonum et malum aequa lance pensitare non decet. Quare cum laetos diu florere nocentes, et pios vexari videamus, alia est post brevem hanc, mortalemque vitam admittenda.

XXI.

Tot naturae donis exornatus homo ad finem aliquem dirigatur necesse est. Sed in quonam obiecto ultimus hominis finis est reponendus, quod immensam eius explere valeat, veri ac boni appetitionem? Innumerae hac de re fuerunt teste Varrone veterum philosophorum opiniones, qui prout cuique libuit, varias sibi effinxerunt vitas beatas. At quantopere a vero aberraverint, qui in bonis creatis perfectam hominis beatitudinem posuere, quae ex Tullio (1) in cumulata possessione bonorum secretis malis omnibus consistit, rerum mobilitas et caducitas suadent. Nam beatus esse nequit, cui ne quid ex his deperdat timendum est, in quibus vita beata consistit. Hinc optime Augustinus « fecisti nos ad te, inquit, et irrequietum est cor nostrum donec requiescat in te ».

XXII.

Ad praestantissimum hunc finem ordinatum hominem, Deus exlegem esse noluit. Nam neque divinam providentiam, quae cunctis praestitutis legibus consu-

(1) Lib. 5 de finib.

luit, ut ad propositum finem properarent, decebat permittere, ut unus homo in tanta naturae suae praestantia, animique mobilitate, consiliis incertis nulla lege firmatis perpetuo iactaretur. Existit igitur lex, quae iubet illa quae facienda sunt, prohibetque contraria, quaeque ex Tullio (1) non scripta est sed nata, quam non didicimus, accepimus, legimus, sed ex natura ipsa arripuimus, hausimus, expressimus, nobisque rationis lumine innotescit. Haec illa est morum regula immutabilis, in rationales omnes creaturas a Deo diffusa, ab ipsis tamen distincta, ne impingamus in illorum errorem, qui legem cum subiecto eamdem percipiente confundentes in contrarias erroneas sententias lapsi sunt. Nam alii divinos legis characteres homini tribuerunt, et ipsum Deum fecerunt; alii mortalium infirmitates naturali legi adiudicarunt, eamque mutationibus obnoxiam esse constituerunt, quod systema omne moralitatis principium subvertit (2).

XXIII.

Hinc concidit absurdum Hobbesii, aliorumque commentum, qui impudenter affirmant, perfracteque contendunt nihil esse natura sua honestum aut turpe, iustum aut iniustum, bonum aut malum, sed haec omnia ab hominum opinionibus, arbitrio, liberisque statutis pendere, quibus societatis bono consultum ipsi voluerunt. Nam conventiones efficere non possunt ut verum sit, quod antea erat falsum: deinde quod ex gentium institutis, principum et magistratuum legibus

(1) Orat. pro Milone.
(2) Rosmini, Principii della scienza morale, c. 1, a. 4.

petitur, variat variantibus gentium opinionibus, moribus, indole, climate, utilitatibus, ut experientia, et nationum monumenta docent. At nunquam fuit gens tam fera, tam barbara, inquit, Romanus orator (1), quae non comitatem, non benignitatem, non gratum animum, et beneficii memorem dilexerit, quae maleficos, crudeles, ingratos non oderit.

XXIV.

Vindicata legis naturalis existentia ad peculiaria progredimur officiorum genera, quae homo cum summo opifice, cum se ipso, suisque similibus habet, ex quibus ut quisque videt exurgit religio. Quo enim lex illa nos ducit, nisi ut Deo subiiciamur, eique, grati animi, observantiae, atque amoris officia tribuamus? Id summa divini Numinis in nos beneficentia, naturae creatae conditio, utilitas ipsa nostra postulat. Hac de causa intellectu, et voluntate instructos nos voluit Deus, ut et intelligeretur et honoraretur. Quamobrem quum vehementer, totoque pectore, quasi naturae pondere quidquid boni apparet, diligamus, absurdum omnino esset bonitatem ipsam non amare, quam satis iam experti, cumulatius nos olim fruituros certo speramus.

XXV.

At non modo internus, sed etiam externus cultus Deo est exhibendus; aequissimum est enim ut principis causae, tum affectibus internis, tum signis externis dominium profiteri, et nos, nostraque omnia illi de-

(1) Lib. 1 de Leg.

vovere. Nam ille est auctor hominis, qui ex ratione, et corpore simul iunctis coalescit. Colimus autem illum maxime moralia ipsius attributa imitando, vitamque nostram ad morum integritatem, ad iustitiam, ad beneficientiam instituendo. Colimus quoque illum, quum eius magnitudinem celebramus, ipsum palam veneramur, et actibus, et sermonibus animi sensa, voluntatemque nostram in eum exprimimus, qui publicus et externus cultus ad alios excitandos, ad religionem pietatemque colendam vim non mediocrem habet. Hinc ex his et illud consequitur non quamdam tantum naturae convenientem aequitatem, sed ipsam proprie iustitiam postulare, ut quidquid deliberate agimus, vel actu, vel virtute in Deum referamus; id enim et primi principii, et ultimi finis notio efflagitat, ut nihil scilicet non in ipsum evadat, atque ipso terminetur.

XXVI.

Quum animo et corpore constet homo, utrumque perficere tenetur. Perficiet autem si omnem excutiet ignorantiam, errores exuat, praeiudicia, falsasque de rebus bonis et malis opiniones, quae tam saepe a recto virtutis tramite nos abducunt, de vitiis extirpandis studiosissime cogitet, et pravis affectionibus perpetuum bellum indicere studeat, et quod supremum est officiorum caput, ratio suum semper exerceat imperium in omnes et animi, et corporis facultates, easdemque assidue regat, moderetur atque gubernet. Perficiet si aliquam quoque curam pro corpore, vitaeque conservatione impendat, quae ex corporis integritate, atque incolumitate pendet. Quare homini non licet vitam sibi

eripere, aut violentas sibi manus inferre, quod novit etiam Virgilius, qui eos apud inferos collocat

. . . . . . Qui sibi lethum
Insontes peperere manu, lucemque perosi
Proiecere animas (1).

Ut autem homini non licet ultro sibi mortem inferre, ita nec membra obtruncare, mutilare, aut perdere, nisi sint insanabili morbo affecta, ne partes aliae corrumpantur, aut coeterorum membrorum usus impediatur.

XXVII.

Conservationis, et perfectionis lex quae homini incumbit, nullam naturalis status ideam Rousseavium habuisse demonstrat, qui hominem ad misera solitudinis taedia natum esse putavit. Nam ingenium, et mores eiusdem, perfectio facultatum quibus pollet, felicitatis desiderium, appetitio eorum quibus commode vita transigitur, et plura alia, ipsum ad societatem cum aliis hominibus ineundam natum esse suadent.

XXVIII.

Sed societas nulla sine iure consistere potest. Quid enim mortalium congregationes essent, nisi iustitia omnium domina, ac regina virtutum privato, ac publico bono advigilaret? Neque enim adamantinis illis vinculis, quae Dionysius senior crebro in ore habebat, vi atque metu, sed iustitia et aequitate societas firmatur et regitur. Hinc praeclare Euripides custodia legum civitates continet, iustitiae contemptus funditus evertit.

(1) Æneidos, lib. 6.

Quare officium civium est a legitima potestate latas leges servare. Ad civium enim notitiam, per legitimam promulgationem deducta lex, non civile tantum, aut externum, sed arctissimum animis religionis vinculum iniicit. Nam qui potestati resistunt, Deo ipsi repugnant, quum qua homines fruuntur ferendarum legum potestatem iis ipse unus impertiat. Caveant ergo subditi ne in legem delinquant, si damnationem in se arcessere nolint, et praeter impendentem spretae auctoritatis iram, malefacti conscientia cruciari.

XXIX.

Ut floreat societas aliena iura sarta, ac tecta servanda, ut quod suo sibi quisque labore peperit, eo fruatur. Revera quamdiu id observatur, amice inter se, ac concorditer homines vivunt; simulatque ab aequitate disceditur, partes, seditiones, bella nascuntur. Amore ac benevolentia universum humanum genus quisque prosequatur oportet; hic omnium officiorum erga alios homines fons est, hoc primum principium. Id vero amor et benevolentia postulant, ut aliis ea exhibeamus, quae nobis iuste fieri volumus. Ideo enim naturae auctor nobis erga alios commiserationis affectum ingeneravit, unde Dido apud Virgilium: « Non ignara mali miseris succurrere disco ». Ac semper utinam! aeque recta, ac praeclara agerent homines. At proh dolor! non desunt aliquando in societate, qui insanabilis ingenii sunt. Quid ergo de his? Hos carcere inclusos a nocendo compescere oportet, aut etiam capite plectere. Quum enim quod universo corpori membrum, id perfectae sit communitati quilibet homo, eodem omnino iure poterit respublica quemadmodum putridum mem-

brum, ita perniciosum civem abscindere ubi opus fuerit, ut quaedam graviora impediantur crimina, quibus concuti societas posset, aut everti.

XXX.

Quae attigimus legis naturalis principia, et plura alia, quae inde emanant vitae praecepta, quamquam absolute, et sigillatim potest homo duce ratione persequi, eius tamen imbecillitas, voluntatis inconstantia, atque perversitas, et fera illa animis nostris quasi congenita ob originis labem, ab honestis refugiendi, atque in turpia nitendi cupiditas, gravissima sunt veritati inveniendae impedimenta. Hinc saepe fit, ut falsas, aut obscuras, ac perturbatas rerum ideas sibi homines effingant, alia pro aliis accipiant. Revera quis vel philosophorum integrum, absolutumque moralis disciplinae codicem protulit? Sufficit eorum ingredi scholas, populorum scita, ac consuetudines perlustrare, ut statim menti occurrant foedissima de Deo, de moribus errorum monstra, quae animus referre refugit. Sed quid de infimae plebis hominibus dicam, rudibus atque ignaris, variis multisque huius vitae negotiis implicitis? Nonne iam vaga prosiliet fraenis natura remotis (1)? Illos doctorum sapientia illuminabat et erudiebat. Praeclaros nacti sumus magistros! Quis ignorat illos turpissimis erroribus morum doctrinam foedasse, vitiis diffluisse? Quo ergo iure poterant populi mores informare? Quae eorum auctoritas, qui publice Deos colebant, irridebant privatim? Qua demum sanctione eorum munita praecepta? Iam vero quid iuvant absque certa sanctione vel eloquentissimi de virtutibus et vitiis tractatus?

(1) Horat., lib. 2, sat. 7.

XXXI.

Una ergo divina revelatio errantes mortales ad veritatem ducit. Caelesti eius luce collustratus humanus intellectus ab ignorantiae tenebris liberatur, quae naturalis officii sunt, quaeque ad religionem pertinent, sine labore addiscit; futura virtutis praemia, et vitio destinata supplicia cognoscit. Purissima demum hac corruscante luce quaevis errandi formido tollitur, ac veritas quavis aetate innotescit, intimiusque animos pervadit, et afficit, dum humana elabuntur praecepta. En adversus Deistas revelationis utilitatem et necessitatem. Viderunt hoc, penitusque intellexerunt vel ipsi praestantiores antiquitatis philosophi, quibus tanti a Deo muneris aliqua affulsit spes. Hinc praeclara illa Platonis in Epinomide vox: docere pietatem neminem posse, nisi Deus quasi dux, et magister praeiverit. In Alcibiade autem nihil tutius, addebat, atque consultius est, quam quiescere et expectare, donec aliquis didicerit, quo animo et erga Deos, et erga homines esse oporteat. Et iure quidem: neque enim vividius ne, an remisse quis edat animi sensa ex indolis suae ratione agitur, sed de ipso genere cultus. Quamvis autem foedis usibus non coli sanctissimum Numen facile quisque intelligat, nemo acie tamen sua certum, determinatumque modum assequetur.

XXXII.

Sed quid de iis, quae ab una libera Dei voluntate pendent, vel quae humanae mentis aciem excedunt. Necessariam aequiore iure ad ea perdiscenda revelationem, ut homines finem suum assequantur, pronunciamus. Obstrepunt equidem hic vehementer Deistae,

quorum delicatulis auribus nihil mysteriorum nomine absurdius insonat; atque ut revelationem ab imis suffodiant, ne possibilem quidem esse iactitant. At quae contradictio, si Supremum Numen quod omnia moderatur suppetias miseris mortalibus ferat? Quae repugnantia, si Deus loquatur, homines audiant? An non creatura conditori subiicitur, in omnia dominatur infinita Creatoris potentia? Vocabulorum itaque vim, rerumque notiones vel inscite, vel temere confundit Baylius, dum mysteria, quae humani intellectus aciem effugiunt, cum ratione pugnare comminiscitur. Directe (1) quidem illa impervia sunt, eoque fides meritum acquirit, sed eorum veritas tam abunde, quamvis indirecte, et analogice constat, ut si quis aequam sectetur dialecticam iis certissime adsentiatur.

XXXIII.

Si possibilis, si necessaria est divina revelatio periucunda summae providentiae notio, quae fortiter omnia, ac suaviter temperat, iam hominibus affulsisse suadet, ne diutius per crassas ignorantiae tenebras vagarentur, quae densissimae ubique terrarum olim incubuerant, cuius eiusdem providentiae officium etiam est, illam perspicuis ita characteribus insignire, quae illico in oculos inquirentium incurrant, miraculis scilicet, et prophetiis. Illa ex Angelico in operibus, quae totius creatae naturae vires superant, collocantur; istae in certa rerum quae naturaliter praevideri non possunt, praedictione ponuntur. Hinc cum eodem Aquinate miraculum definimus eventum, qui consuetas constantesque naturae leges egreditur, et fit praeter ordinem totius creatae naturae.

(1) Gioberti, Teorica del sovrannaturale, num. 89 seg.

XXXIV.

At possibilia ne miracula sunt? Non moramur Vireyum an miracula fieri possint interrogantem, nec Voltairium, qui ut totam miraculorum vim convelleret, ea possibilia esse negabat. Nil enim vetat Deum libere conditis legibus superioris ordinis gratia derogare, qui vult ut materia spiritui, et sensibiles ordines moralibus subiiciantur (1). Praeterea moralis ordo supernaturalibus adminiculis completur, atque perficitur. Haec ab ipso uno fieri posse, qui errori et fraudi patrocinari nequit, ne dubium quidem. Fateor non omnes naturae leges nobis esse compertas; Angelicas vires eximias esse, vividiusque ac perfectius quam mortalibus liceat se se exerere; pro lubitu tamen, et ex intrinseca vi generalem rerum ordinem suspendere, mutare, vel intervertere posse, vetat creatae naturae conditio, ac divinae providentiae notio, quae Angelorum quidem ministerio sapientissime utitur, ultra vero praefinitos ipsis limites facultatem exercere non permittit.

XXXV.

Luculentissimum eiusdem divinitatis testimonium sunt vaticinia, unus quippe Deus, cuius aeternae menti omnia praesentia sunt, cuius voluntati omnia parent, futuros eventus in causis naturalibus minime praevisos certissime praesentire, ac praedicere potest. Hinc nesciam mentem hominum fati, sortisque-futurae, futurisque temporis exitum caliginosa nocte premere Deum, vel ipsi Ethnici cognoverunt. Cognovit et ipse Genevensis philosophus, qui tamen argumenti vim labefa-

(1) Gioberti, Introd. allo studio della filosofia, tom. 2, c. 6, p. 323.

ctare cupiens, qui oraculo fidem vult adhibere, eiusdem, quod futura portendat, quae nullo humano artificio praevideri queant, et eventus qui praedictis plane respondeat, testem esse oportere, velut ex tripode pronunciavit, quasi nihil omnino pro vero sit habendum, quod non ipsi auribus, oculisque nostris usurpaverimus. Quare miramur Helvetium, Voltairium, Spinosam aestuantis phantasiae opus oracula esse docuisse, divinosque vates furentibus Ethnicorum, Mahumedanorum hariolis, sagis, et corybantibus assimilasse.

XXXVI.

Miracula, et prophetiae divinam vocem produnt; haec Deum orbi fuisse loquutum invicte demonstrant. Sed ubinam gentium haec reperiuntur? Cuinam populo divina reserata voluntas? Moysi sapientissimo Hebraeorum duci, qui non a Iove quodam commentitio ut Minos; non ab Apolline, ut Lycurgus; non ab Ægeria, ut Numa, sed ab eo, qui solus verus Dei nomine censendus est sibi per manus traditam divinam revelationem accepit. At extitit ne Moyses? Ne refutandi quidem qui eo dementiae devenerunt, ut tanti viri existentiam denegent: neque enim fieri potuit ut semper constans, universalis, nulla saeculorum intercapedine intercepta, tum Iudaeorum, tum Christianorum fides viguerit falsa tantum Moysis fama innixa.

XXXVII.

Moysis existentiam vindicavimus. Ipsi qui prae caeteris scriptoribus antiquitate gloriatur totum tribuendum Pentateuchum Sinagogae, et Ecclesiae fides probat, tum Samaritanorum, ac profanorum scriptorum auctoritas.

Hinc reiicimus Spinosae, Hobbesii, aut Voltairii commenta Pentateuchum Esdrae tribuentium, aut illorum, qui a quodam sacrificulo Samaritano illum conditum esse constituunt; perinde enim illi facere videntur, ac si illinc Hebraicae reipublicae primordia repetenda esse doceant. Errat pariter Richardus Simonius qui legem quidem, ac praecepta Hebraeo duci accepta refert, historica facta abiudicat; tum Astruchius, qui Genesim ex variis variarum gentium fragmentis fuisse coagmentatam commentus est. Nec quidquam proficit Richardus dum styli varietatem ad eam sententiam confirmandam affert, quam se deprehendisse gloriatur: profecto lynceos oculos habuerit opus est, qui illud vidit, quod a nemine animadversum hactenus fuerat. Nec iterum moramur Voltairium, qui aut nullum sacro scriptori in deserto praesertim praesidium fuisse blaterat, quo suos libros literis exararet, vel nondum inventam scribendi artem. Haec Moyse antiquior; nec tanta ipse premebatur rerum inopia, ut res a se, suisque maioribus gestas scriptis mandare nequiret.

XXXVIII.

Omnia, quae a clarissimo Hebraeorum scriptore literis concredita sunt, quorum ipse magna pars fuit, veritatis characteribus fulgere, suadet styli semplicitas, doctrinae consensio, animi candor, nam ut ars naturam, sic mendacium veritatem nunquam poterit ex omni parte imitari. Praecipua quae narrantur facta publica fuerunt, innumera testium multitudine firmata. Verba sibi dare facile non patiebantur Hebraei, qui maligne duci obtrectare noverunt. At quomodo praeteritorum temporum notitiam assequutus Moyses? Orali traditione,

qua paucis interiectis generationibus, certissima eventuum veritas transmissa est. Exstabant erecta monumenta, quae aetatem anteactam velut exprimebant.

XXXIX.

Pentateuchum iterum adoriuntur increduli, atque corruptum, et foedatum ad nos pervenisse contendunt. At unde habent argumenta, quibus haec probetur opinio? Ne corruptionis labe inquinatum fuisse credamus vetat frequens eiusdem, et iussa seu domi, sive in caetibus lectio; exemplarium tanta ferme copia, quanta civium; peculiares totius Leviticae tribus curae; prophetarum consequentium impensa rei sacrae studia. Paucis superatis periculis ad Esdram, et Nehemiam devenimus, qui si qua menda irrepserant expurgarunt. Post haec propagatae scientiae, versionum multitudo in exteras linguas, sollertissima Hebraeorum reverentia, diligentia Masoretharum sacra volumina ad nos incorrupta servarunt ita, ut nullam iustam animo suscipere possimus suspicionem, doctrinam, historiaeque veritatem graviter fuisse foedatam.

XL.

Haec ad sacrorum bibliorum auctoritatem vindicandam iam abunde sufficerent, ni recentibus praesertim criticis nulla divina ope praediti, nulla caelesti luce collustrati sacri scriptores dum religionis acta literis consignarent, viderentur. Verum eorum errata refellunt tot illa divinae quasi auctoritatis sigilla, miracula scilicet, et prophetiae, quibus interspersa sacra volumina conspiciuntur. Fulgentissima sunt Moysis prodigia in campo Taneos quibus tota spectante Ægyptiaca gente divinam

suam legationem probavit. Protegente Numine tumentes scinduntur maris fluctus, praetergreditur Israël, mediis in fluctibus obvolvuntur equi, et ascensores Ægyptiorum. Complura in Pentateucho leguntur fusa oracula eventu comprobata. Sed quid haec commemoro, si continua fuit prodigiorum series, vaticiniis totus interspersus Pentateuchus, praesentissima Hebraeis divina praesentia, qua per inhospita, et ardua deserti loca servati sunt incolumes?

Quae attigimus eumdem esse aliis libris honorem tribuendum probant; unum enim cum Moysis volumine doctrinae corpus efficiunt: posteriora prioribus respondent, nec vaticinia sine historia, nec ista sine illis potest intelligi. Aliquos tamen adversus incredulos, ac liberiores criticos vindicandos suscipiamus.

DE LIBRIS HISTORICIS V. T.

A IOSUE AD BABILONIAM USQUE CAPTIVITATEM

I.

Moysi Iosuas sufficitur a Deo ipso delectus, ut iuxta saepius repetita oracula Abrahamidarum progeniem in Chanaanitidis possessionem immitteret. Josue successerunt iudices, deinde reges ad Babylonicam usque captivitatem. Mirum quot, quantaque gesserit Deus pro Israëlitico populo labente illa aetate, imo ad illa usque tempora, quibus iuxta celeberrimum Iacobaeum oraculum defecit sceptrum e tribu Iudae, et complementum habuit Danielis vaticinium, *et non erit eius populus qui eum negaturus est.* Variae hinc Hebraicae gentis vices, quas historici libri veteris testamenti complectuntur, quorum primus qui de Iosue nomine inscribitur. Hunc ante davidica tempora lucem aspexisse, et verosimilius ab ipso fuisse exaratum constans, nec interrupta traditio, et hagiographorum scripta testantur. Et sane multa sunt quae suadeant: praeter Moysis exemplum hoc postulabat perhonorificum ipsius munus, qui cum a Deo delectus fuisset ut Chanaanitidem possidendam Israëlitis traderet, regionemque inter ipsos partiretur, eoque pacto datam patriarchis, ut ita dicam, fidem liberaret, institutamque

religionem constabiliret, non alia potiori ratione huius firmitati consulere poterat, quam si quae, quantaque in sui populi gratiam prodigia tunc temporis a Deo perpetrata fuerant, ipse literis consignaret. Operis deinde natura, locorum, ac temporum notatio, eventuum descriptio, styli simplicitas, atque vetustas Iosuam scriptorem omnino evincunt. Sed quid si in Grotii, aut Masii, aut Iahnii sententiam quisque descendat? Sua nihilominus stabit libro auctoritas; mire enim cum universa Hebraici populi historia cohaeret, cumque omnibus iudaicis monumentis consentit.

II.

Liber hic omnium Hebraeorum suffragio comprobatus, et magna semper veneratione susceptus non modo externis, sed et internis veritatis characteribus fulget. Sane ea elucet styli simplicitas, auctoris candor ac fides, ea cum antecedentibus oraculis eventuum consensio, ea non interrupta causarum, et effectuum series, et nexus, ut si librum Iosue de medio tollas tota dissiliat Hebraeorum historia. Natura praeterea, et granditas factorum, quae sub innumerae multitudinis oculis contigerant, ostendunt non potuisse auctorem fallere, etiamsi id animo sibi proposuisset. Sequiorum tandem scriptorum suffragia omnem suspicionem amovent.

III.

Ab operis veritate ad peculiaria facta progredimur, et a Iordanis traiectione exordimur. Facti veritatem inficiantur increduli: miraculum intercessisse negant liberioris ingenii critici, quorum alii telluris hiatum,

apertamque voraginem obtrudunt, alii mutato cursu in subiectam Peraeam aquas exoneratas docent. Verum facti testis fuit universa Hebraeorum gens, quae qua posset ratione decipi non videmus, illudque hagiographi scriptores (1) confirmant; prodigiosum vero fuisse, miraculi praedictio (2), orationis series, verborum vis, monumentum erectum, intima demum Hebraici populi persuasio plane evincunt; divinam enim providentiam decebat vel sub ipsam primam irruptionem in Palaestinam prodigiis Hebraeis consulere, ut auctoritatem supremo duci conciliaret, atque Chananaeorum gens bellicosissima, armis assueta, viribus potens, frangeretur, animisque concideret.

IV.

Palaestinam ingressi Hebraei urbem Hiericuntis oppugnant. Sex continuis diebus iubente Domino urbem circuire pergunt, dum novo spectaculo commoti Hiericuntini, atque perterriti, quo demum res evaderet opperiebantur: septima die omni populo vociferante, et clangentibus tubis muri illico corruunt (3). Ludunt ergo Michaëlisius, et Iahnius (4), qui terrae motum excogitarunt, tum Baverus, qui nullo prorsus fundamento innixus vim militum obtrudit ultima urbis maenia quatientem, et diruentem. Quo armorum genere quassata, ac subversa fuerit urbs, declaravit Paulus (5), *fide muri Ierico corruerunt.*

(1) Ps. 113, v. 3, 5, 65, v. 6. Habacuc, c. 3, v. 10.
(2) Ios., c. 3, v. 5.
(3) Ios., c. 6, v. 20.
(4) Mich. ad h. l.; Iahn, int. lib. V. T., p. 2, § 3.
(5) Hebr., c. 11, v. 30.

V.

At quo iure, inquit ibi Voltairius (1), Hebraei Chananaeorum regione potiti sunt, atque senes, pueros, mulieres internecioni devoverunt? Dei iussu, qui Chanaanitidem iamdiu Abrahamo promiserat, eosque scelerum immanitate insignes punire decreverat. Hinc ut Israëlitas impares aliter regione potiri iuvaret, miracula miraculis cumulabat. Cum Amorrhaei per declivia Bethhoron praecipites ruerent instantibus a tergo Hebraeis, et gladio persequentibus, illos grandine protrivit, quae horum neminem tetigit. Auctorum omnium consensus, omnem circa historiae veritatem dubitationem eximit. Lapidea ne fuerit, an grandinea procella non quaerimus: prodigium in eius immissione saltem quoad modum intercessisse adiuncta suadent; lapidibus enim stato solum tempore dipluit, stato loco, ut procella protererentur hostes, illaesi ad unum omnes Hebraei tantam cladem evaderent. Deo ab auctore adscribitur (2) unde divino peculiari nutu concitata fuisse colligitur.

VI.

Lapidibus grandinis percussi Chananaei, quum palantes per agros dilaberentur, ad Iosue imperium sol stetit, ut spatium concederet Hebraeorum duci insigni clade faederatos reges opprimendi. Celeberrimum adeo factum poëtarum etiam fabulis adumbratum (3), nec fabulis ab incredulis adscribi, nec extenuari ab heterodoxis interpretibus patimur. Diserta sunt scriptoris verba: « Stetit sol in medio caeli, et non festi-

(1) Bibl. expl.
(2) Ios., c. 10, v. 8, 9, 11.
(3) Hom., Odiss., l. 22, v. 242-43; Lucan. 26 phars.

navit occumbere spatio unius diei. Non fuit antea, nec postea tam longa dies obediente Domino voci hominis, et pugnante pro Israël (1) ». Haec clariora sunt, quam ut adeo grande miraculum pertrahatur ad lucidum corpus, meteoras igneas, parelium, creperam lucem, aut nocturna collucentia fulmina, quae Peirerius, Spinosa, Grotius, Clericus, Michaëlisius et Iahnius obtrudunt.

VII.

Nec minoris momenti est victoria quam de filiis Enac retulit Iosuas (2), qui gigantes erant (3). Fabulosam quidem esse gigantum historiam, nec posse proceram eorum staturam cum virium firmitate, et corporis robore componi censet Voltairius (4); at eorum existentiam S. Scriptura tradit, Phaenicum, Indorum, Persarum, Chaldaeorum, Ægyptiorum, et Graecorum traditio, et authentica monumenta confirmant. Fatemur fabulose exagerata eorum et gesta, et proceritatem, et robur a poëtis: verum ideo fidem impetrarunt, quia veris falsa admiscebant. Fabulis tamen adscribimus quae de Angelorum malorum connubio cum filiabus hominum, unde gigantes prognati, referunt nonnulli, auctoritatem apocriphi libri Enochi secuti.

VIII.

Palaestina subacta, invictissimus Hebraeorum dux regionem inter ipsos partitus est, ac ne unquam de

(1) Ios., c. 10, v. 13, 14.
(2) Ios., c. 11, v. 21.
(3) Ibid., c. 13, v. 34.
(4) Bibl. expl.

cuiusque tribus portione lites orirentur, praestitutos singulis fines in tabulis descripsit, ac publici iuris fecit. Hoc munere summa cum laude perfunctus, senio confectus, e vivis excessit. Hebraeos, quos interdum victoriis elatos, vitiis difluentes, et in idolorum cultum miserrime prolapsos tradebat Dominus in manus diripientium, mox malorum experimento edoctos, atque ad saniora consilia avocatos, ab exterorum servitute iudices a Deo suscitati liberabant. Horum gesta in volumine iudicum exarata sunt, quod davidicam aetatem superare, imo Samuelem verisimiliter auctorem prodere (quem ne theocratici regiminis memoria excideret providere decebat), styli simplicitas, atque vetustas, tum Thalmudicorum auctoritas suadent. Quid si liber sit Samuelis aetate posterior? Constans tamen Hebraeorum et Christianorum consensus, rerum natura, hagiographorum suffragia, Hebraicae reipublicae vicissitudines moribus hominum, atque temporibus congruentes, carmina, recens memoria factorum, oralis traditio, caeteraque omnia indicia, quae eruditum et ingenuum exhibent scriptorem, integerrimam probant factorum veritatem, eamque historici fidem, quae nullo possit aut dubio, aut suspicione labefactari.

IX.

Prodigiis refertam iudicum historiam maligno dente carpunt increduli. Dum Maratoniam et Salaminiam pugnam ad sidera tollunt, negant Gedeonem tercentis militibus stipatum, altera manu lagenam vacuam, inque ea lampadem accensam gestantibus, altera tubam, Madianitarum exercitum perterrefacere, ac fugare po-

tuisse. Perperam tamen: incustodita enim manebant castra, res ut nova, ita magis terrifica: fortissimi viri, qui fugientes insequebantur omnia tumultu, clamore, metu complebant. Dominus ipse Madianitas exturbavit, ut pavore corriperentur. At impio ne opitulatur Deus qui idolum confecit? Non ita: ephod enim nunquam aliud quam pallium significavit. Quomodo ergo post ephod fornicatus est ſpopulus? Nempe eius occasione et verisimiliter post Gedeonis obitum; ipse enim *mortuus est in senectute bona* (1).

X.

Samsonis gesta, qui irruentem leonem discerpsit, hostium segetes igne vastavit, mille viros asini maxilla enecavit, Dagonis templum columnis concussis evertit, vellicant quoque increduli. Baverus Eichhornum secutus scriptorem Herculis fabulam hic recoquere autumat. At nihil Herculi cum Samsone commune; non hic domuit monstra, peragravit orbem, unoque excepto flagitio, non hic impurissima libidine, atrocibusque se criminibus polluit. Praeclara huius iudicis facinora eius generis fuerunt, ut nec Philisthaeos, nec Hebraeos latere potuerint, neque memoria excidere, vel adulterari, quin gens alterutram mendacii argueret.

XI.

Quae attulimus iudicum aetate Hebraeorum genti Numen praesens semper fuisse ostendunt. Victoria enim ab Angelo praedicta (2), ipsaque praedictio

(1) Iud., c. 8, v. 32.
(2) Ibid., c. 6, v. 14.

miraculo obsignata (1) terror in hostes a Domino immissus (2) protegente Numine in Madianitico praelio Israëlitas inclaruisse suadent. Angeli apparitio (3) et sponsio liberationis Israëlis de manu Philisthinorum, aeneum robur Nazareatus legi a nativitate ad exitum usque vitae servandae alligatum, praeclara pariter Samsonis gesta divina virtute perpetrata evincunt.

XII.

At quid excusso iugo audax Iapeti genus non audet! Ni velis, inquiunt increduli, sanctissimum Numen adinstar Iovis Ethnicorum humano sanguine delectari, omnia ex consuetudine, et praeiudicatis opinionibus seculi indiscriminatim Deo auctori tributa fuisse concedere oportet. Revera: quis Ahodi et Iahelis facinus flagitiosissimum non habet? Veteris legis Heroas perfectae iustitiae lineam non nunquam transiliisse fatemur, nec singula eorum gesta ad Legis Evangelicae amussim ipsi exigere volumus. Hinc Ahodum, Eglonem Moabitarum regem obtruncantem (4) alicuius simulationis reum fuisse damus; perduellem autem, mendacem, perfidum negamus: Deus vero Hebraeorum liberatores ut fortia facinora aggrederentur divino spiritu impellebat quidem, animum ad patriae charitatem accendebat, non eo usque ut tamen regebat ut nihil omnino peccarent. Quid hic criminatione dignum? Iahelem, quod fidem datam non servaverit, et violaverit hospitii iura damnamus. Cur ergo lau

(1) Iud., v. 21.
(2) Ibid., c. 7, v. 22.
(3) Ibid., c. 13.
(4) Ibid., c. 3.

dibus cumulatur a Debora prophetide? Ob pium in Hebraeos animi affectum, tum ob singularem fortitudinem, quae erat ab omni posteritate celebranda.

XIII.

Qui praeclara facta laudamus, Iephtaeum parricidium feritatis vel dolentissimi damnamus: neque enim Ethnicorum Numinis instar veluti alterius Iphygeniae, aut Polyxenae sanguine delectatur Iehova Hebraeorum. Ephebus ille adhuc e patria domo exactus, iuventam apud exteros misere transegit: dux a Galaaditis creatus, ut Ammonitis bellum inferret, rudis et divinae legis ignarus, se quem primum sibi occurrentem conspexisset mactaturum spopondit. Hostibus fugatis atque devictis, dum de praelio revertitur obviam filiam prodeuntem offendit. Moerore tunc ac luctu confectus vestes scindit, imprudens votum accusat, sed promissi religione tactus fecit ei sicut voverat (1). Quam graviter peccaverit nostrum non est decernere: interea dum et consilium, et executionem improbamus, pium affectum, ob quem ab Apostolo commendatur, veneratione prosequimur.

XIV.

Iudicum volumen absolvimus, cui velut appendix quaedam Ruthae liber attexitur. Hunc Davidis aetate vulgatum, Samueli attribuendum plerique censent: utcumque, de eorum veritate, quae ibi narrantur scriptoris candor ac fides, Sinagogae et Ecclesiae persuasio dubitare vetant. Ad mores quod attinet nihil

(1) Iud., c. 11, v. 39.

hac historiola utilius. Noëmi nurus animum explorantis, ac Ruthae inhonestam Booz ad matrimonium pelliciendi rationem nonnullos carpere non ignoramus. Nos aliquid primaevorum morum simplicitati dandum fatemur: at finis honestus, resque ipsa per se non inhonesta: nurus deinde modestia ac pietas, socrus prudentia, Boozi probitas omnem periculi suspicionem amovebant.

XXV.

Quamvis iudicum aetate secundis rebus uterentur Hebraei, Theocratici tamen regiminis pertaesi, regem exposcunt, qui ipsos regat. Samuel Deo iubente Saulem inungit, cui reprobato sufficitur David, a quo regia dignitas haereditario iure ad posteros transmittitur. Quae florentissimis hisce temporibus contigerunt quatuor Regum libri, et Paralipomenon narrant. De horum voluminum aetate, et auctore discors est eruditorum sententia, sed firmissima eorum auctoritas: is enim est scriptorum candor, ea rerum celebritas, ea eventuum connexio, ut de historica veritate dubium movere non permittant; adde scriptorum omnium suffragia, tabularum fidem: uno verbo tantis est communita praesidiis, ut uberiora desiderari non possint.

XVI.

Inter innumera quae in his voluminibus occurrunt potiora seligimus. Ad arcae praesentiam, qua potiti erant Philisthaei, quum semel, et iterum corruerit Dagonis idolum, eam Israëli restituendam decernunt: plaustro imposita ad Bethsamitarum urbem devenit, quorum plures nimium curiosi in arcam inspicientes,

morte multantur. Quinquaginta hominum millia ob arcam invisam perempta miserantur increduli, Deumque crudelitatis accusant. Quae enim iniquitas, clamant, tam gravi vulnere, non innoxiam modo, sed pii gratique animi sensibus exultantem plebem atterere? Nos et iustam poenam fuisse, quia audaciores, et curiositate capti in arcam introspexerunt, quod sub mortis comminatione vetaverat Moyses, et septuaginta tantummodo viros, qui ob insignem eorum virtutem quinquaginta millibus aequipollebant, percussos, ac repentina morte multatos defendimus. Falsitatis argumenta etiam promunt increduli ex narratione de sexcentis Saulis militibus, qui armis destituti, ingentem Philisthaeorum exercitum, triginta curruum millibus instructum profligaverint (1). At non illico inermes quibus ex aere, aut ferro nulla sunt arma. Multa veteribus instrumenta loco armorum: Persae, teste Curtio (2), lignum igni duraverant: clava, sagittis utebatur Hercules, alii cornibus ex Plinio (3): baculis, fundis, fustibus, sudibus, rusticis instrumentis etiam Hebraei (4). Currum pro equis ipsum trahentibus, aut hominibus qui equos agunt, et de curru pugnant, vel comitantur quandoque accipi Bibliorum auctoritas suadet (5), qua posita interpretatione triginta curruum millia ad tria commode reducuntur.

XVII.

His ita enucleatis ad Saulem accedimus. Fausta cuncta

(1) Reg., c. 13.
(2) Lib. 3, c. 2.
(3) Lib. 15.
(4) Iud., c. 20, v. 16.
(5) II. Reg., c. 8, v. 4.

regi, ac populo cesserunt, donec ipse Dei mandata custodivit. Divinis proculcatis praeceptis versa est rerum facies, et iustissima in regem excandescente Numinis ira omnia in deterius vergebant: « Spiritus enim Domini recessit a Saul, et exagitabat eum spiritus nequam a Domino (1)». En hominem a Deo derelictum: fuerit ne a Daemone vexatus, vel naturali morbo, atra bile, melancholia, ira, invidia correptus, varia est eruditorum sententia; interim eius gesta repetentibus nobis, quot, quantaque proh dolor! errorum monstra succurrunt. Sacerdotes Nobenses levissima suspicione ductus interemit: Davidem cythara psallentem, ut eius animum exhilararet semel et iterum lancea confodere adnisus est: en quo perduxit miserum culpa regem: trepidis deinde in rebus, irruentibus in Hebraeorum fines Philisthaeorum copiis, hostium numero ac propinquitate exterritus, ad Endorensem pythonissam ut Samuelem suscitaret confugit (2), qui sagae excantationes praeveniens, magno mulieris terrore Deo iubente apparet, Saulis, ac filiorum eius necem altera die secuturam praenuncians.

XVIII.

Miserrime vita functo Saule, David homo iuxta cor Domini Hebrone primo regnavit: capessivit postea regni habenas super universum Israëlem. Ipse si aliqua excipias peccata, quorum et poenam acerbissimam luit, et poenitentia expiavit, quamvis pientissimus rex fuerit, incredulorum tamen calumnias non effugit. Spinosa et Baylius ipsum cum Catilina comparant, per-

(1) I. Reg., c. 14., v. 13, 14.
(2) Ibid., c. 28, v. 7.

duellem in regem, in hospitem perfidum, in amicum ingratum, in victos crudelem, lascivum traducunt. Verum praeclara Davidis gesta eius generis sunt, ut haec in ipsum impingi non patiantur.

XIX.

David Salomonem progenuit, qui post patris obitum Israëlis thronum conscendit. Huius regis initia criminantur increduli: Adoniae mortem, Ioabi aram suppliciter tenentis, ac Semaei caedem cum Turcarum moribus comparat Baylius. Semaei semet in laqueum ipse induxit: Adoniae primum veniam dedit: dein cum Abiatharo, et Ioabo conspirantem, sibique petentem Abysay patris viduam, ut eius ope viam sibi muniret ad solium, iure cum Ioabo morte multavit. Rebus compositis, eminentissima sapientia, et immensis divitiarum copiis a Deo ditatus, regiam excitavit, splendidissimum templum extruxit. Verum proh dolor! Sol ille coruscans ad hesperum vergens nitidum comae iubar obnubilat; foemineis scilicet illecebris fractus Salomon idola veneratur; en quo perducant vel sapientissimos mortalium voluptatum illecebrae!

XX.

Quamvis Davidis, ac Salomonis opes quam ingentes fuerint et templum excitatum, et regia demonstrent, exaggeratae tamen incredulorum gregi videntur. At si hostium spolia animadvertamus, tributa devictis gentibus imposita, praedam ex Tyriis, Assyriis, Idumaeis, Ammonitis, Amalecitis, aurea arma in manubiis Assyriorum reperta, vasa aurea et argentea a Ioram missa, fidem non superare apparebit. Quid si vecti-

galia addamus oblationes, Davidis parsimoniam, nulla militum fere stipendia? Non ne si haec et alia prae oculis habeantur nihil exaggeratum reperient?

XXI.

A Regibus ad Prophetas dilabimur, quibus prae caeteris inclaruit posteriorum regum aetas: divinam enim decebat sapientiam scisso imperio, atque grassantibus undique vitiis suorum legatorum numerum augere, qui religionis integritati consulerent, Abrahamidarum sobolem, ac principes increparent, edocerent, a sceleribus avocarent, modo praeterita Dei opera memorantes, modo futurorum malorum praedictione terrentes. Hos non oratores tantum, legis doctores, viros praecellenti ingenio praeditos, non aestu abreptos, novarum rerum cupidos, qui naturali facundia, vel alia de causa auctoritatem apud Hebraeos nacti prophetarum nomen promeriti sint, quemadmodum aetatis nostrae Heterodoxi incredulis pollicem praementes comminiscuntur, sed divinitus ipsis offusum lumen fuisse, quo divinam patefacerent voluntatem, futura praedicerent, tuto pronunciamus.

XXII.

Sed quis divini traditi spiritus certitudinem habuit? Prophetae ipsi, coaevi, posteri; atque ne nimis excrescat oratio praeclara afferimus Eliae, atque Elisaei facta, in quibus coecus sit oportet, qui divinam istorum prophetarum legationem non agnoscat. Elias neque rorem amplius, neque imbrem per triennium dilapsuros impio Achabo minatur: oraculum comprobavit eventus ita, ut vel flumen Carith exsiccaretur,

morbis, ac fame, homines, iumentaque perirent (1). Ignem e caelo immittit (2) qui holocaustum, qui Baalis vates ad torrentem Cison, qui pentacontarchas absumpsit (3). Viduae puerum in Sarephta ad vitam revocavit (4): pallio Iordanis aquas divisit (5); atque traiecit. Tot tandem prodigiis insignis igneo curru divinitus in caelum raptus est. Lepide Neoterici phaetontiacum currum cum Eliae ignita nube turbine concitata, quae ignei currus, equorumque speciem praeseferret comparant. Singulare prodigium pluries praenunciatum, fuit ab Elisaeo qui testis narravit pluribus miraculis confirmatum.

XXIII.

Quid de Elisaeo dicam? Sunamitidi nasciturum filium promittit, vita functum a mortuis excitat (6). Naamanum lepra eximit, eadem dein ob accepta contra praeceptum a principe dona, servum Giezi insanabiliter multat (7). Syriae regis principes, qui ipsum interimere quaerebant fusis ad Deum precibus caecitate percutit (8). Quid plura? E vivis sublato, eius ossa aliis vitam restituunt. Uberiora ne desiderare prodigia possumus, qui historicam veritatem admittimus, ut divini traditi verbi certitudinem assequamur?

(1) III. Reg., c. 17, v. 1.
(2) Ibid., c. 18, v. 38.
(3) IV. Reg., c. 1, v. 10, 12.
(4) III. Reg., c. 17. v. 17.
(5) IV. Reg., c. 2, v. 8.
(6) Ibid., c. 4, v. 16 seq.
(7) Ibid., c. 5, v. 27.
(8) Ibid., c. 6, v. 18.

XXIV.

Nec alia desunt argumenta, quibus Hebraeorum vates divino spiritu oppletos, atque Israëliticae genti Dominum semper adfuisse demonstremus. Ezechiae morituro imminentem sanationem Isaias praenunciat, vaticinium miraculo firmat, et « decem gradibus in horologio Achaz (1) solis umbra recedit; » praeter rerum ordinem, absentibus naturalibus causis, hoc contigisse contendimus: solem retroactum sacrae literae aperte non innuunt, eventus non exposcit, Deus vero nihil frustra molitur. Senacheribbi exercitus Lobnam obsidentis ab Angelo caeditur (2): qua morte perierit nescimus; a Deo tamen immissam defendimus: hinc miramur Voltairium (3) fidem quam divinis eloquiis denegat Herodoto tribuentem, teterrimam adeo cladem ab agrestibus muribus repetere.

XXV.

At quibus parcunt aris increduli? quid intactum relinquunt? Plura, clamant, in divinis voluminibus praeternaturali virtute contigisse leguntur, quae vel aniles fabulae sunt, vel naturalia phaenomena: eius generis est septem virorum interitus, qui Daemoni Asmodaeo tribuitur (4): verum Ethnicarum ne gentium superstitionibus addicti sacri scriptores? Quid ergo carnium nidor obtruditur? Ridiculum suffitu extricari Daemonia. Triduanam continentiam, vigilias, orationem simul cum suffitu praecepit Angelus, qui Daemonem in fugam coniecit.

(1) IV. Reg., c. 20, v. 11.
(2) Ibid., c. 19.
(3) Bibl. expl.
(4) Tob., c. 3, v. 4, et c. 6, v. 8.

XXVI.

Nec minus irrident increduli maniacum Nabuchodonosoris morbum (1). Multa a multis de hac regis dementia disputata novimus. Allegoricam tantum, et fabulosam narrationem obtrudi non patimur. In belluam ne ergo conversus princeps? Non ita: divina virtute percussus in belluam se conversum putabat. Huic inhaerens persuasioni vagari coepit, sub dio manere, idest rore caeli perfundi, herbam comedere, procul ab hominum consortio in sylvis vitam degere, uno verbo ferarum mores imitari. Contorta ergo plane critica utuntur Neoterici, dum priscos Hebraeos nimium faciles fuisse iactant, ut Deo singularia phaenomena a viribus naturae profecta adscriberent, quorum physica, et naturalis causa illos lateret.

XXVII.

Quae hucusque attulimus, pluribus aliis mirabilibus omissis, dum ubique manum Domini in Iudaeorum republica micantem ostendunt, hebraicae religionis sanctitatem, et divinitatem demonstrant. Revera quot in ea iusti vixere, et caelestem beatitudinem post Salvatoris adventum adepti sunt, dum gentes inter quas Synagoga versabatur, gloriam incorruptibilis Dei, in similitudinem imaginis corruptibilis hominis mutaverant? At non hic finis erat divinae in mortales sollicitudinis. Erat hebraica religio umbra futurae lucis, qua affulgente universum humanum genus collustraretur. Hanc vaticinati sunt prophetae: hanc diu exspectatam in plenitude temporis unigenitus Dei filius a patre ante saecula genitus attulit, hanc nos expendendam suscipimus.

(1) Daniel., c. 6

DE VERBO HOMINE FACTO

ET DE CHRISTIANA RELIGIONE

I.

Vetus foedus quasi fulgentissimi solis praenuncia aurora ducit ad novum, quod Christus Dominus temporum mensura, iustorum expectatione, ac summa supremi Numinis in homines benignitate ad plenitudinem adducta instituit. Hoc ardentissima patriarcharum vota spectabant; hoc crebra portendebant prophetarum oracula. Mirabile sane opus, ac ineffabile arcanum, quo nihil beatius contingere, aut iucundius nunciari mortalibus poterat. Hic Dei Filium videmus, quem venerabundi contemplantur caelicolae, in similitudinem hominum factum infinitis cruciatibus, aerumnis et morti deterrimae, atque acerbissimae addictum. Hic eius sudore et sanguine tartara subacta, effractam tenebrarum dominationem, caelum omnibus pervium, universum qua late est dissipatum humanum genus non solum in pristinam libertatem assertum, sed a Deo in suum regnum et gloriam vocatum. Sed cur tot, tamque dira, ac vel dictu, vel cogitatu aspera Christus sustinere voluit? Ut nos merito nostro inimicos sibi aeternae eriperet damnationi. Daemonis nimirum invidia ruit primus homo in vetitum nefas periturus.

En peccatum quo prostratum fuit humanum genus: en primam mali labem, quam ignorantes philosophi, modo novercam naturam appellabant, modo suscepta in superiore vita scelera fabulabantur, aureae aetatis secula cum poëtis fingentes.

II.

At quomodo unius hominis crimen totam eius posteritatem infecit? Rei singularitate perculsa hic hominum mens obstupescit; non sine causa revelatio silet: filios tamen irae ob Adae delictum singulos nasci Deo revelante credimus: hominis depravata natura confirmat: obscuratus enim intellectus ad veritatis cognitionem obtorpuit, corrupta ac depravata voluntas ad honestissima veri boni illicia obduruit. Quae quamvis utrique facultati inflicta calamitas, quum tamen non tam ignoratione Adamus, quam perversitate peccaverit; graviori affecta supplicio, quae gravius deliquerat animae facultate, multo ad bonum tardiorem voluntatem, quam ad verum obtusam intelligendi vim, tum ipse persensit, tum ad nos omnes transmisit.

III.

Primi parentis scelere foedata humana natura, plurimae in nos ex illo crimine poenae fluxerunt. Comparatam humanis corporibus perniciem uno mortis vocabulo Deus expressit, gravissima illa protoparenti proposita comminatione: «Quacumque die comederis ex eo, morte morieris (1)». Et rectissime quidem:

(1) Gen., c. 2, v. 17.

omnes enim quas Adae praevaricatio invexit corporis infirmitates, ex quodam mortis principio profectae, ad mortem ipsam contendunt. Sed quid de anima? Tanta ipsi inflicta clades, ut non solum ex gratuitis, et supernaturalibus exciderit, sed in propriis etiam ac naturalibus vulnera exceperit. Sed nondum hic illius criminis finis: hinc protoparentibus aeterna instabat damnatio, quemadmodum omnibus paratam novimus legem Domini graviter violantibus.

IV.

In grande adeo peccatum prolapsi mortales, tantaque malorum colluvie pressi, veram se se cum Deo reconciliandi rationem ignorabant, nisi ipse succurrisset. Verum omnipotens Deus, cuius misericordiae a seculo sunt statim a mundi primordiis, perpetrato scelere moerentes protoparentes solaturus fide in venturum Messiam erexit, dum poenam serpenti minatus, semen quod daemonis caput hominum calcaneo insidiantis contereret promisit (1). Quod obscurum in hoc oraculo videbatur, id tractu temporis Abrahae, in quo erant omnes gentes benedicendae, Isaac, Iacobo, et Moysi declaratum est. Quae quum ita sint qua fronte Voltairius sospiratoris expectationem ad inanem consolatoriam spem, in Iudaica natione excitatam traducit, aut ex prophetarum oraculis temere conquisitam docet; recentioris vero aetatis sapientes ex Ægyptiis, aliisque finitimis populis haustam effutiunt? Dogma praecipuum a Iudaeis apud gentes pervulgatum quidem novimus; at humano generi coae-

(1) Gen. 2.

vum, ac nulla seculorum intercapedine interceptam eius fidem gravia omnino argumenta suadent, et evincunt.

V.

Sed iam dies adventus Messiae definiamus, et dudum exacta tempora demonstremus. Celeberrimum est Iacobi iam iam morituri oraculum, quo sceptrum Iudae usque ad sospiratoris adventum asseritur (1). In re gravissima iocantur rabbini, dum tenebras luci offundere nituntur, vaticinium non de Messia prolatum somniantes. Cur veteres in Targum et Thalmude de Messia exposuerunt? Quis ille desideratus cunctis gentibus, cui futura erat omnium populorum congregatio? Atqui iampridem ad alienigenam Herodem commigravit sceptrum; desiere duces et principes de foemore Iudae, sapientissimo Dei consilio permixtae ac confusae tribus. Risum ergo movent Hebraeorum magistri, dum in America et Æthyopia, apud Tartaros, et ultra Sabbaticum flumen sceptra tenere, coronas gestare Iudae principem fabulantur. An moenibus igneis circumseptus locus mortalibus inaccessus? An densa caligine aditum velante protectae urbes?

VI.

Nec minus luculentum Danielis vaticinium, quo definitas septuaginta ebdomadas novimus « ab exitu sermonis, ut iterum aedificetur Ierusalem usque ad Christum ducem (2) ». Praeter Danielem, Aggaeus

(1) Gen. 49.
(2) Daniel., c. 9, v. 24 seq.

et Malachias (1) Hebraeorum moestitiam solaturi, ut patriis sedibus restitutos, ad templi aedificationem vehementius incenderent, priore splendidius fore spoponderunt, non propter auri argentique vim, sed ob adventum desiderati cunctis gentibus. Atqui iamdudum profanata sacra, exustum templum, fortitudinis urbs, atque decoris vi subacta stirpitus interiit.

VII.

Notissima tandem sunt prophetarum oracula, quae idololatriae extinctionem, conversionem gentium ad veri Dei notitiam et cultum Iudaici populi reiectionem spectant, et dispersionem per universum orbem. Atqui iampridem diruta fuerunt numinum fana, confracta idola, subversa altaria, sacra abolita. Iampridem pervulgata per orbem veri Dei cognitio: ab octodecim seculis reiecti Hebraei extorres per universum orbem vagantur sine duce, sine templo, sine sacrificio, sine altari, diraque ubique sine solatio praemuntur servitute, ut vel ipsa Hebraica natio luctuosa nimis experientia edocta fatetur et sentit.

VIII.

Sed in quonam haec completa? Excussis tenebris quibus obvolvuntur Iudaei, praeiudiciis abiectis, Iesum Nazarenum intueantur, et desiderium collium aeternorum, exoptatum liberatorem invenient. Ipso adventante defecerunt in Hebraica republica Scevet et Mechokek; in eo completae septuaginta hebdomades; cruci affixus ipse et non sibi, ab eo condecoratum templum, paullo post in acervum redactum: extincta

(1) Aggaei, c. 2, v. 7. Malach., c. 3, v. 1.

idololatria, fracta idola, conversae gentes ad supremi Numinis cultum, exules Hebraei. Ipse Bethlehem ex semine David, praecursore praeventus, pauper, humilis, pacificus; magistri, Dei legati, prophetae, legislatoris munere functus. Micantibus hinc inde signis eius conspicua nativitas. Ipsum adorarunt omnes Angeli Dei, obtulerunt munera reges Tharsis, reges Arabum, et Saba adduxerunt dona. Novum sancivit foedus antiquato vetere uni Abrahamidarum soboli concreditum: omnia ita uno verbo oracula prophetarum implevit, ut nisi ipsum pro vero Messia habeamus, alius frustra sit expectandus.

IX.

Ad haec Messiae regnum toto qua late patet orbe diffundendum praedixerunt Hebraeorum Vates, non terrenis, ac temporalibus simile, quae nunc florent, nunc concidunt, sed spirituale et aeternum, eius sanguine constituendum, atque irrigandum. Ita sane prophetavit Isaias, qui liberatorem principem pacis appellat, patrem futuri seculi, consiliarium, Deum fortem; ita David et universus prophetarum chorus, qui Messiae armaturam in iustitia, et fide, zelo, iudicio et aequitate repositam esse docuerunt. Perperam ergo regem bellatorem, cuius gladio sanguine sint irrigandae provinciae, evertenda regna, omnia ferro, ac flammis delenda, Iudaei sibi praestolantur. Illa porro amussim ita in Iesu Nazareno adimpleta sunt, ut eius historiam prophetae scripsisse videantur. Quid dicam de doloribus, genere mortis et sepulchro, quod gloriosum futurum praevidit Isaias? Non ne rem probavit eventus in Christo Domino?

X.

His contra Hebraeos digestis cum haereticis congredimur quorum plures in Christi divinitatem debacchantur, nimirum Cerinthus et Ebion, Carpocratus, Paulus Samosatenus, Arius et Photinus, qui eum purum hominem esse comminiscuntur. At quaenam Arianorum, aliorumque victoria, contra apertissima scripturarum oracula, quibus Christi divinitas communita triumphat? Baptismatis forma, pluresque aliae sacris voluminibus consignatae sententiae hanc haeresim evertunt; imo vel ipsum Evangelii Ioannis initium explodit. Obstrepunt quidem Sociniani, qui consepultam haeresim e cineribus excitantes, veterum illorum hac in re audaciam se et vicisse non pudet, et vincere gloriantur; eorum tamen numero et telis, quibus aërem verberant non turbamur.

XI.

Dum Iesum Nazarenum verum Deum colimus, verum pariter hominem profitemur ex Virgine natum, iuxta celeberrimum vaticinium, quod regis Israëlitarum animum recreaturus Isaias fudit inquiens: *Ecce virgo concipiet et pariet filium, et vocabitur nomen eius Emmanuel* (1). An non de proprie dicta, atque integerrima virgine loquutus propheta? Atqui Hebraica vox *gnalmah*, qua vates Emmanuelis genitricem appellat, nesciam mariti puellam denotat. Ita interpretantur 70 senes, et Chaldaici paraphrastes, quibus consentiunt Syriaca et Arabica versiones, tum veteres rabbini. Ex virginis igitur substantia divino faecundante spi-

(1) Isaias, cap. 7.

ritu integra virginitate, Dei hominumque mediator Christus Dominus in lucem est editus.

XII.

Ad tantam, tamque mirabilem Deiparae dignitatem Maria evecta singularique, ac nulli mortalium privilegio concesso decorata Spiritus Sancti sacrarium violari nunquam passa est. Deinde vero nolumus multis in Cerdonem Marcionemque agere, ac similes obscurissimi nominis haereticos, quos phantasiastas vocant, Salvatoris corpus nudum phantasma asserentes, et simplicem corporis speciem re omni destitutam: quae enim de genealogia, nativitate, vita, morte literis exarata leguntur, quae de maerore, tristitia, ac turbatione saepe testatus est Iesus ipse, abunde hunc errorem explodunt. His pariter Valentiniani, eiusque gregalium somnia fugantur, qui corpus caeleste, vel nullis passionibus, aut doloribus obnoxium Christo affinxerunt: tum etiam Apollinaris, qui vel nullam eidem, vel irrationalem animam attribuit. Nam perspicua sunt Salvatoris verba, quibus animam suam pro ovibus suis ponere affirmabat (1), tum illa, quibus hominis filius dicitur, qua appellatione iuxta Aquinatem doctorem vocari Christus non posset, si anima et rationali quidem, quae praecipua est hominis pars, destitueretur.

XIII.

Nestorius vero fidem de una in Christo persona subvertens, totum Incarnationis mysterium ab imis

(1) Ioann., cap. 10, v. 15.

suffodere adnisus est. Hanc porro haeresim, quam iam Caelestinus Romanus Pontifex, et Cyrillus Alexandrinus profligarunt. Ioannis verba: *Verbum caro factum est* (1), et Paulus (2), qui Christum, quum in forma Dei esset et Deo aequalis, semetipsum exinanisse tradit, abunde refellunt. Ex hac doctrina et illud prono veluti alveo fluit Virgini, Deiparae dignitatem asserendam, quam perperam callidum simulandi artificem non denegasse plures haeretici sibi adblandiuntur. Nam si verus est Deus qui ex illa genitus est, ut tradidimus, ita vere est Dei genitrix, quae verum Deum ex se ipsa incarnatum genuit.

XIV.

Eutiches *delirus ille et imperitus senex*, ut haereticum Nestorii figmentum facilius everteret, unam in Christo naturam propugnavit. Hanc impietatem scripturarum oracula, quae Verbum, quod erat in principio apud Patrem, et Deus erat, carnem factum fuisse, et in nobis habitasse docent, Patrum et Conciliorum auctoritas prosternunt, ratio refellit. Etenim eadem esse nequit Dei et servi forma: nihil enim, inquit Angelicus, recipit quod iam habet. Ex infausta Eutychianorum sobole quasi mali surculi pullularunt Monothelitae, qui unam in Christo voluntatem, atque operationem adstruunt. At erat in Christo hominis natura perfecta, ad quam voluntas, quae eiusdem est naturalis potentia pertinet; duplex ergo erat in illo voluntas Divina videlicet, et humana; ubi autem duplex causa, duplicis generis pariter adesse operationes oportet.

(1) Cap. 1, v. 14.
(2) Ad Philip., cap. 2, v. 6.

XV.

Unus ergo Christus verus Deus et homo non confusione substantiae, sed unitate personae. Ex hoc porro naturarum arctissimo nexu necessario consequitur communicationem admittendam esse idiomatum in concreto, non in abstracto, quemadmodum pluribus placuit novatoribus; quum enim eadem utriusque naturae hypostasis sit, utriusque nomine supponitur: tum plures in eo agnoscendas esse animae proprietates, quas expendere iuvat. Ac primo humanam Christi intelligentiam affluisse omnigenis scientiae opibus scripturarum oracula testantur, Ecclesia docet, quae ipsi inustam ignorantiae labem in Agnoëtis, Valentinianis, Arianis et Nestorianis execrata est, quos omnes refellit Apostolus dum affirmat thesauros omnes sapientiae et scientiae Dei absconditos in illo fuisse.

XVI.

Ab ipso pariter conceptionis exordio Christi animam beatifica visione donatam tradit Ioannes notissimis illis verbis: *Vidimus gloriam eius, gloriam quasi unigeniti a Patre.* Id enimvero talis, tantaeque coniunctionis ratio humanae naturae cum divina Verbi persona consociatae postulabat. Nam docente Angelico *quanto receptivum propinquius est causae influenti, tanto abundantius illius recipit influentiam.* Quamobrem sicuti lumen in aëre lucet ex solis praesentia, ita vel maxime praesens Christi intellectui Divinitas summe illum beabat. Deum nihilominus humana sua cognitione aequasse Anomaeis non damus; humani enim nihil, quamvis egregiis plane dotibus locupletatum, ens immensum atque infinitum attingere undevis potest.

XVII.

Hinc iam nulla virtute caruisse deducitur, iis ablegatis, quae aliquam imperfectionem sonant, cuiusmodi sunt fides et spes, quarum altera inscitiam, aliquem altera amittendae felicitatis metum adiunctum habet. Revera sanctum ipsum appellavit Angelus (1); prophetae sanctum sanctorum, et iustitiam ipsam sempiternam (2). Hinc vi gratiae unionis absolute peccare non potuisse doctores uno ore praedicant: facilius enim est tenebrescere lucem, quam commaculari sanctissimam animam Verbo divino unitam. Sed quae tunc Christi libertas in morte subeunda implendisque moralibus praeceptis? Reponimus non in eo positam esse libertatis naturam, ut quis a recta morum regula deflectere possit. Quare utramque proprietatem, liberum scilicet, atque impeccabilem fuisse divina oracula vindicant, duce Angelico praeceptore et ipsi tuemur.

XVIII.

Hisce proprietatibus ornatum Christum Dominum vere pro nobis satisfecisse, et pretio persoluto, nostra crimina expiasse, ex Divinis eloquiis hausta monumenta tradunt, quae ipsum satisfactionem praebuisse, *pro nostris, imo totius mundi peccatis*, docent, Patrum auctoritas confirmat. Desciscens a Dei lege humanum genus oneri se ac debito subiecit luendi paris poenae, aut compensandae per aequam satisfactionem iniuriae, quam supremo iustitiae fonti, rectique ordinis vindici intulerat. At quid persancto Numine dignum? Quid tanto malo reparando idoneum mortales poterant of-

(1) Luc., c. 2.
(2) Daniel., c. 9.

ferre, si Christus ipse *semel in sancta aeterna redemptione inventa introire non dignabatur, ut repromissionem acciperent qui essent vocati aeternae haereditatis?*

XIX.

Summis itaque laudibus est efferendus Christus, qui peccata nostra proprio sanguine delevit, nostrasque sustinuit vices, ut aeternis nos eriperet poenis. Satisfactionis autem, et meriti tantam fuisse plenitudinem, ut superabundans fuerit, infinitae personae dignitas, theandincae operationes ab illa elicitae declarant. Ubi abundavit delictum, superabundavit gratia, inquit Paulus, quod adeo planum, exploratumque est, ut perperam hac in re cavilletur Socinus. Expiationem sequuta est reconciliatio. Haec sane maiorum nostrorum fides, qui et institutum thesaurum nunquam in Ecclesia defuturum, exauriendum nunquam, qui et omnes homines, et omnia complecteretur tempora, docent.

XX.

Quae de altissimo hoc religionis arcano tradidimus sufficerent, nisi totam eiusdem doctrinam concutere recentiores conarentur increduli, qui Incarnationem rationi repugnare, Deo indignam iactant. Nos quidem mysterium absconditum fatemur, repugnantiam non admittimus. An quia intimam eius essentiam assequi Deistae non valent assensum praestare illico detrectant? An quod non intelligitur, ideo non existit? Atqui lucem inaccessibilem habitat Deus; omnipotens autem ac sapientissimus est, cui quaevis est creatura subiecta. Quid vero si in nullo alio opere magis divina splendescunt attributa? Iamvero in hoc mysterio summopere Dei

omnipotentiam fulgere videmus, dum imbecillem humanam naturam ad illud dignitatis fastigium evehere novit, ut eam in suae communionem adscisceret adeo mirabili nexu, ut nec inferiorem consumeret glorificatio, nec superiorem diminueret assumptio. Elucet Divina bonitas, qua sua dilectione indignam naturam arctissimo sibi amoris vinculo copulare voluit; quae omnia et plura alia contemplantes Patres maximo se stupore perfundi fatebantur. Novimus equidem adversarios offendere miseram Christi fortunam, vilescere ipsorum oculis fasciis involutum Deum. At nos splendidissimos excelsae magnitudinis undique micantes radios ab ipso prodeuntes videmus, quos qui meridiana in luce caecutire voluerit, tantum negabit.

XXI.

Sed quo tanta Verbi erga nos bonitatis dignatio spectabat? Ut novum sanciret foedus, quod non uni tantum regioni ut Mosaicum, sed universo terrarum orbi nullo gentium discrimine splendesceret. Evangelica porro lex, quae Mosaicae successit, in Evangelicis codicibus continetur. Hic nos remorantur increduli, qui omnia novi foederis volumina inter Apocryphos libros reiiciunt. Domestico hac in re utimur testimonio. Iamvero Apostolico aevo Evangelium Matthaei, Marci, Lucae, et Ioannis in lucem prodiisse una voce testantur Clemens Romanus, Ignatius, Polycarpus, Papias, Irenaeus, Apostolorum certe aequales, vel suppares. Quid plura? An ab Apostolis, vel eorum aequalibus exarata fuisse Evangelia veteres dubitarunt unquam haeretici? An dubitarunt Celsus, Porphyrius, Iulianus, Iudaei christiani nominis infensissimi hostes? An ne foedata

ad nos pervenerunt? Obstat honor a Christianis illis delatus, sollicitudo qua custodiebant, et studium quo illa venerabundi legebant.

XXII.

Evangelia simplicem veritatem referunt. Ab Apostolis enim, vel eorum comitibus exarata sunt, quibus veritas nullo pacto poterat elabi, nulla decipiendi causa aderat, nulla erant fallendi spe illecti. Praeterea ita facile verba sibi dare non sivisset pervicax Iudaeorum et Gentilium genus, quorum maxime intererat fraudem si qua fuisset detegere. Plura deinde Salvatoris gesta, prodigia, vitae genus et necem referunt vel ipse Suetonius, Tacitus, Porphyrius, Phlegon, Celsus, Iulianus. Cur demum si fabulosa narrant Evangelici codices, dirutis templis, proculcatis idolis, antiquatis foedissimis ritibus temporis diuturnitate firmatis, ignoto Christo populi nomen dederunt? An insano furore repente perciti, nulla iusta de causa religionem voluptatibus, ac praeiudicatis opinionibus adversam amplexi sunt? Id a nemine fidem impetrabit.

XXIII.

Quae protulimus, et divinam Iesu Nazareni legationem, et Christianae religionis divinitatem evincunt. Nam Evangelici codices ubique miraculis, et prophetiis refulgent, certissimis Divinitatis characteribus. Christo imperante mare, venti mitescunt, Daemones expelluntur, teterrimi fugantur morbi, caeci vident, claudi ambulant, leprosi mundantur, surdi audiunt, mortui resurgunt. His cumulum addit eiusdem resurrectio, nullo unquam dubio extenuanda. Revera post-

quam acerbissimis doloribus, ac cruciatibus confectus tota propemodum contremiscente natura cruci affixus emisit spiritum, absorpta in victoria morte, redivivus tanta cum gloria apparuit, ut illam publice praedicantibus Apostolis, et apertissimis signis confirmantibus, ne contradicere quidem synagoga potuerit.

XXIV.

A miraculis ad vaticinia accedimus, quorum omnium celeberrimum est illud quod Iesus discipulorum corona stipatus, ac turbis hinc inde plaudentibus, et clamantibus, de Hierosolymorum excidio, et templi eversione memorandis illis verbis fudit (1): *Videtis haec omnia? Amen dico vobis, non relinquetur lapis super lapidem qui non destruatur.* An non adamussim impletum? Stante adhuc generatione illa sacerdotalis urbs lamentabili ruina prostrata fuit, et solo aequata, flammis exustum templum, undecies centena hominum millia interempta, nonaginta asportata, reliqui Iudaeorum extorres, natio dispersa, cytharas cantionum Sion amaris salicibus appensas dereliquit. Iudaeorum templum restaurare adnisus quidem est Iulianus, ut oraculum frustraretur. At Deo vaticinii sui vindicias agente, terraemotu lapides diruente, ac metuendis flammarum globis prope fundamenta crebris assaltis erumpentibus, operarii perterriti, dispersi, fugati sunt.

XXV.

His addimus celerrimam Evangelii propagationem, ut vere quemadmodum praedixit David in omnem ter-

(1) Lucae, c. 19, v. 41 seq.

ram exierit Apostolorum sonus, et in fines orbis terrae verba eorum. Quibus porro praesidiis rudes, simplices, humilisque fortunae Apostoli arte omni destituti, nisi plane conspicua Numinis ope populos omnes non modo Romano imperio subiectos, sed Parthos etiam et Indos ad religionem voluptatibus adversam perducere potuerunt, obstrepentibus mundi principibus, et tenebrarum harum, furente Ethnicorum sacerdotum insania, et obnitente superba hominum philosophia, quos extulit aetas illa vanorum dogmatum feracissima? Furtivum ne serpsit Evangelium, tenebras quaesivit, suaque placita ad aures insusurravit cum veritatis dispendio? Minime: versatile ne fuit? Ita quidem cavillantur religionis osores; at doctrinam suam versatilem, atque accommodatitiam pro variis adiunctis exhibuisse Evangelicos praecones nunquam legimus.

XXVI.

Quid vero si inter supplicia et caedes natam, et adultam religionem animadvertamus? Iamvero illorum testimonium, qui ne veritatem testatam prodant bonorum iacturam, adversaque omnia perferunt, atque certae occumbunt morti, summum certitudinis gradum attingere nemo inficias iverit. Atqui ingentis multitudinis fidelium, cuiusque sexus, aetatis, generis, gentis atque regionis sanguine irrigatam religionem floruisse, qui indubiis factis innixi eius divinitatem confitebantur, Ecclesiastici, et profani scriptores enarrant. Vel igitur de qualibet veritate actum est, vel divinam omnino Christianam religionem a tot testibus comprobatam, fateamur oportet.

XXVII.

His omnibus alterum pro divinitate religionis nostrae addimus non minus illustre ex excellentia et sanctitate doctrinae deductum argumentum; sublimia enim adeo sunt eiusdem scita, et perfecta plane morum praecepta, ut nihil quod Deo, homine atque societate dignum non sit contineant. Sane dignus ibi Deo cultus qui virtutes omnes insinuat, atque persuadet praescribitur, amor in ipsum, fides et spes, quae aeternam vitam eius auxilio comparandam conducant. Iubetur charitas, quae nullis contenta finibus universos complectitur homines, sacra coniugii sanciuntur iura, parentum officia in filios, ac filiorum erga parentes praestituuntur, honestus divitiarum, aliorumque bonorum statuitur usus. Per hanc religionem principibus honos, amor, obsequium conciliantur, nobilia in animis ingeruntur commiserationis sensa, quae paratam ad proximi levamen manum admoveant; iniuriarum venia praecipitur, ac ipsa in inimicum beneficientia. Demum ut haec omnia alacres praestent homines efficacissima praebet motiva, amplissima videlicet praemia, quibus ad propria munia obeunda alliciantur, poenasque item acerbissimas atque aeternas pro meritis uniuscuiusque, ut eosdem a vitiis deterreat, proponit. An praestantiora quis doctrinae capita excogitavit? Quid itaque mirum, si virtute eius divina a solis ortu ad occasum, mutata rerum facie inauditae illuxerunt virtutes, temperatae, vel prorsus deletae fuerunt iniquae servitutis leges, humaniora sancita belli iura, imperiorum tranquillitati consultum, firmata ac lenita regiminis potestas, asperum concitatae plebis ingenium eruditum, imminuta crimina? Oh caelitus delapsa religio, quam

beati mortales si te probe perspectam ex animo colerent, et sequerentur!

XXVIII.

At enim quid sanctissima caelitus demissa religio mortalibus profuisset, si Christus ad accuratam divinorum codicum intelligentiam, in quibus potissimum ipsa continetur certum, tutumque magisterium non constituisset? An quaeso imperita plebs opportunis scientiarum praesidiis destituta, multisque impedimentis constricta reconditos divini verbi sensus detegere valet? Nonne docti ipsi in varias saepe scinduntur sententias? Quis tunc lites dirimat? Quis errorem depellat? In has salebras impegerunt Sociniani, qui supremum sensus scripturae sacrae definiendi ius rationi adiudicantes, omnia tandem religionis arcana convellere non dubitarunt, quorum vestigiis inhaerentes Rationalistae, fere omnia, quae in bibliis continentur mythice explicarunt. At quantopere a veritate ipsi aberrent, vel una fidei definitio, quae sperandarum substantia rerum, argumentum non adparentium ab Apostolo dicitur abunde evincit; qui enim rationem in fidei controversiis iudicem statuunt, perinde facere videntur, ac illi, qui orta de coloribus lite, eiusdem arbitrum coecum constituerent. Ad mythum autem constituendum antiquitatem, ruditatem, sermonem symbolicum, atque historiae defectum requiri, nemo est qui dubitet, dum probe ipsius Varronis principia teneat, quae tamen omnia in divinis eloquiis desiderantur; nec felicius protestantium commentum de via examinis ac privato spiritu; Scripturis enim, universalis Ecclesiae auctoritati, perfectae so-

cietatis naturae opposita veluti fronte repugnat. Miserabilis, semperque lamentabilis ipsa novatorum experientia, errorum monstra, quae profuderunt, perpetua certamina, quibus etiam nunc inter se digladiantur, supremum Numen ut Christianae religionis integritati, hominumque bono optime consuleret, unam Ecclesiam tanta divinitus auctoritate communivisse persuadent.

XXIX.

Sed quaenam Christi Ecclesia, cui revelationis depositum concreditum est? Si novatores audiamus, caeca nocte, crassaque caligine illam adeo occultari, ac circumfundi posse comminiscuntur, ut nulla vera eius facies affulgeat. Absurdum deliramentum silentio obruendum. Nam Ecclesiam ita conditam fuisse, ut nullo non tempore sensibus esset subiecta dubitare non sinunt iussa fidelibus oris confessio, quae fit ad salutem, praescriptus sacramentorum usus, et externa regiminis forma. Confirmant figurae quibus in sacris literis adumbratur; modo enim illam indigitant nomine montis in vertice montium positi, ad quem fluent gentes omnes; modo civitatis supra montem aedificatae, quae non potest abscondi. Visibilem hanc societatem in omne aevum duraturam, ex Christi institutione defendimus: clara enim sunt Christi verba Petrum alloquentis: *Tu es Petrus, et super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam, et portae inferi non praevalebunt adversus eam* (1). At si in aeternum iuxta allatas et plures alias toties in divinis oraculis repetitas pollicitationes Christi manu sustinetur, eius praesidio armatur, fulcitur vir-

(1) Matth., c. 16, v. 18.

tute, regitur sapientia, nulla humana, nulla diabolica vis eam convellere penitus poterit.

XXX.

Visibilem hanc Christi Ecclesiam cui Dominici gregis divinitus est cura commissa inerrantiae privilegio donatam propugnamus. Quid enim iuvaret fidei veritates ipsi concreditas fuisse, ut illibatas servaret, et custodiret, lites dirimeret, atque scripturarum sensum aperiret, si certum non esset, atque ab omni erroris suspicione immune eius iudicium, ut acquiescere illi tuto possemus? An finem suum assequeretur Christus ni ipsa columna esset, et firmamentum veritatis, firmissimo Spiritus Sancti praesidio stipata, inexpugnabile regnum, adversus quod nunquam sint portae inferi praevaliturae? Iamvero aut nullus in Ecclesia controversiarum iudex supremus, aut ipsa sit necesse est. Ipsa enim sola concertationes omnes dirimendo litigantes compellere potest, ut suae sententiae obtemperent. Si porro isthaec persuadere adversariis nondum hanc veritatem valent, quas ipsi venerantur scripturas, audiant, atque ex iis quid ipsi promiserit Christus ediscant: *Tu es Petrus, et super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam, et portae inferi non praevalebunt adversus eam. Qui Ecclesiam non audierit sit tibi tamquam ethnicus et publicanus. Vobiscum sum usque ad consummationem seculi.* Ex quibus colligere licet universum Pastorum coetum dum in revelationis causa nobis scripturarum sensum aperit, vel quodvis docet divinae doctrinae caput neutiquam posse errare, tum concilia, quae convocatione, celebratione, et exitu oecumenica sunt in rebus fidei morumque definiendis infallibili prorsus auctoritate pollere; Spiritus

enim Sancti suffulta regimine, scripturarum oraculis, et traditionibus innituntur. Novimus quidem novatores traditiones, seu Dei verbum ab agiographis scriptoribus literis non exaratum, temerario ausu reiicere. At vel ipsum Divinum verbum scripto concreditum traditione primum constabat. Bibliorum canon, eorumque integritas nutat, si illae removeantur; nutant plura dogmata, quae nobiscum Protestantes admittunt, quaeque nonnisi traditionis ope nobis innotescunt. Caeterum illam vel ipsae scripturae quas in omnibus sequi ipsi profitentur, laudant, atque inculcant. Dum traditiones urgemus, Divino-Apostolicas potissimum intelligimus, quas temporis decursu iacturam pati verendum non est.

XXXI.

Quod de Ecclesia diximus idem ferme de Sanctorum Patrum auctoritate sentiendum, qui duodecim prioribus seculis sanctitate ac doctrina floruerunt, si uno omnes ore in quovis revelatae doctrinae capite consentiant. Nam testes se praebent traditionis, quam suis temporibus universa tenebat Ecclesia, nec poterunt omnes in errorem induci, quin Christus Ecclesiae defuerit, cui illos praefecit in opus ministerii, in aedificationem mystici corporis. Honore igitur ipsi sunt prosequendi, nec audiendi novatores, qui eos universim errasse, et novas concinnasse doctrinas nugantur.

XXXII.

Fontes praecipuos, quibus Ecclesia utitur, ut concreditum doctrinae depositum, fideles doceat, tradi-

dimus. Ad eius notas modo accedimus, quibus illam Christus insignitam voluit, ut ab adulterinis distingueretur, atque ad ipsam omnes rudes etiam, ignari, et imperiti, qui maiorem hominum partem constituunt, confluere possent. Veram Ecclesiam dicimus, quae una sit, sancta, catholica, et apostolica. Isti sunt characteres, quibus studiosus religionis indagator non est cur multum laboret, ut Christi sponsam inveniat. Quare exitiale incautis blandimentum praebent novatores, qui ne a Christi Ecclesia extorres deprehendantur, salutem cuique spondent, dummodo societati adhaereant, quae Christiano nomine glorietur. Nam vox ipsa naturae clamat, sicuti unus est Deus, et una veritas, ita unam esse veram, ipsique probatam, traditamque religionem. Quale porro inauditum monstrum existet, si Iuriaeo daremus vera in Ecclesia contineri societates, quae inter se invicem schismate, gladiisque districtis pugnant? Neque difficultatem enodare potest sua illa articulorum fundamentalium, et non fundamentalium distinctione, quam inani plane labore obtrudit. Ut enim omittam inauditam illam prorsus fuisse toti antiquitati, singula revelatae doctrinae capita etiam minus praecipua, nemine diffitente Deo auctore gloriantur, quamobrem omnia par mentis, animique obsequium requirunt.

XXXIII.

Lydium itaque vera Christi Ecclesia quatuor illis proprietatibus fulgeat necesse est. At quaenam ex variis societatibus illis condecoratur? Romana: Nam haec fidei unitatem servat. Hic unam fideles tenent doctrinam in rebus aut solemni iudicio, aut tacita

omnium consensione probatis. Una est egregie conspirans constituta regiminis forma, unus supremus pastor, Romanus videlicet Pontifex, unitatis centrum, totiusque Hierarchiae caput, cum quo caeteri communicant sacrorum Antistites, et qui universam regit catholicam rempublicam; iure enim divino Apostolorum principi qui post Antiochenam ad obitum usque Romanam rexit Ecclesiam successit, cui perperam honoris, et iurisdictionis primatum eripere conantur novatores. Nam quid sibi voluit Christus dum clavium potestatem speciali quadam ratione Petro tribuit, dum super ipsum tamquam super petram aedificare promisit Ecclesiam suam, dum oves pascendi et agnos confirmandi munus demandavit, si iurisdictionis primatum quem ipsi conferebat non significavit? Adde praecipuum hoc privilegium unitati servandae necessarium esse vel ipsam societatis naturam suadere. In Romana deinde Ecclesia nobis per sacramenta aperiuntur uberrimi divinae gratiae et sanctitatis fontes; nec desunt Evangelicae virtutes, et sanctitatis exempla. Late haec protenditur per diversas gentes, et loca remotissima, ac ipsa sui indole in universas patere potest mundi plagas, quin aut caeli, aut incolarum, aut morum et legum patriarum diversitate praepediatur. Universam totius retro antiquitatis doctrinam tuetur a Christo, ad haec usque tempora. Perpetua tandem nec interrupta pastorum successione a Petro ad nos usque gloriatur. Quae quum ita sint, non est amplius cur conquerantur Protestantes, qui a Romana hac nostra in cuius sinu feliciter degimus, schisma fecerunt, si eos a nostra communione reiicimus. Turbarunt enim Ecclesiae pacem novitatum stu-

diosi, unde illorum signamus originem, spe omni sublata institutionem suam ad Apostolos referendi.

XXXIV.

Nunc iam Dei existentiam, cultumque generatim constituimus. Verbum aeternum, Patris Filium hominem factum, ab eoque conditam Ecclesiam et Religionem a tota aeternitate praeordinatam, variis multisque praesidiis munitam persecuti sumus. Sed quo tantum Dei et Christi opus, ut tot donis mortales instrueret et communiret? Ut nempe virtutum exercitio solutis corporis vinculis ad aeterna tabernacula aditus pateret. Fulgebit enim vero tandem aliquando dies illa magna, qua Christus Iesus cum potestate magna et maiestate Angelorum choris stipatus, quotquot exstiterunt homines iudicaturus apparebit. Tunc vox Domini cedros confringens et montes concutiens, e sepulchris mortuos evocabit, et e pulvere corpora quibus omnes homines iterum compacti resurgent, ut qui ipsius adhaeserint religioni, et virtutes excoluerint ad caelum per nubes, et aëra, ut Paulus loquitur, cum Christo ferantur, eiusque agri zizzania in fasciculos collecta igni sempiterno dabit. Non me fallit quidem incredulos corporum resurrectionem irridere, atque universali de iudicio dogmati refragari: at haec certissima prophetarum oracula (1), et Christi verba (2) portendunt. In hac fide perpetuo Ecclesia stetit, neque illi contradicit ratio. Quae enim in eo repugnantia deprehenditur, quod Deus, qui corpus no-

(1) Daniel., c. 12, n. 2. Iob., c. 19, v. 25. Malachias, c. 7, v. 9 seq.
(2) Matthaei, c. 22, v. 31.

strum ex nihilo creavit, quum est resolutum restituat? Oh! utinam pravis nos omnibus miserrimae huius vitae cupiditatibus tandem soluti, incorruptibili corpore, fulgentissima luce circumfuso induti, cum beatissimis spiritibus Dei visione fruentes, in caelestibus sedibus in aeternum consistamus!

DE AUGUSTISSIMO TRINITATIS MYSTERIO

I.

Omnium praecipuum, ac fundamentale Christianae Religionis mysterium, quo superna Dei magnitudo revelatur, in eo iuxta germanam Ecclesiae fidem positum est, *ut unum Deum in Trinitate, et Trinitatem in unitate veneremur, neque confundentes personas, neque substantiam separantes* (1); quippe etsi tres in Deo admittendae sint Personae a se invicem realiterque distinctae, in his una tamen est, eaque individua natura.

II.

Magnum, inquit Bernardus, *Sacramentum et venerandum, quod credere pietas est, nosse via et vita aeterna; scrutari autem, summa temeritas* (2). Quare 1° culpandus Paulus Holbachius, seu quisquis auctor extitit historiae criticae Iesu Christi, contendens veritatem hanc sola ratione duce detectam a Platone fuisse, atque ab ipso ad nos per traditionem devenisse, nam praeterquamquod Platonis de Trinitate doctrina, fatente ipso Mosheimio (3), valde obscura est, et nihil cum catholica fide commune habet; homines per simplicem rationem ad illius cognitionem assurgere non posse cum Angelico profitemur (4); 2° E nuperrimis censendus graviter er-

(1) Symb. Athanas.
(2) Lib. 2, de consid., cap. 8.
(3 In notis contra Cudv.
(4) 1 p., q. 32, a. 1, nec non opusc. 70 de Trin. sup. Boëtium.

rasse V. Cousin, qui dum naturali ratione ea explicare aggressus est, quae humanae mentis intelligentiam longo intervallo excedunt, nihil aliud effecit, quam rectam huius mysterii rationem evertere (1); 3° Tandem nec iis parcendum qui aut veterum Socinianorum praeiudiciis, aut Baylii et Tolandi sophismatibus decepti affirmare audent dogma hoc cum rationis principiis pugnare; mysterium enim quum sit, nequit non esse supra rationem; Dei autem revelatione quum innitatur, non solum illi non adversatur, sed nec ullam humanae menti exhibere contradictionem potest.

III.

Sunt igitur tres in Deo personae a se invicem distinctae, quae per quatuor oppositas relationes constituuntur, *Paternitatis*, nimirum, *Filiationis*, *Spirationis activae* et *Spirationis passivae*. Cuius quidem mysterii quum pauca tantum ac subobscura vestigia in veteri testamento occurrant, ita dein clare atque perspicue in novo declaratum illud fuit, ut mirari subeat Socinianos passim ea de re dubia movere. Ex multis novi foederis locis quae afferri possent, tribus his praesertim insistimus: historiae Baptismatis Christi, quam tres simul Evangelistae exhibent (2): formae baptismi ab ipsomet Christo institutae (3); ac demum versiculo septimo epistolae primae B. Joannis, cap. 3, cuius authentiam dum vellicant Unitarii, eius maxime efferunt vim. Hoc enim comma nedum perhibent probati codices permulti, sed ita est cum universo con-

(1) *Cours de Philosophie par V. Cousin.* Lectione 5, die 21 maii, an. 1828.
(2) Matth., cap. 3; Marc., cap. 1; Luc., cap. 3.
(3) Matth., cap. 28.

textu connexum, ut eo sublato manca et imperfecta evadat oratio.

IV.

Nec minus perspicua et constans est traditio. Etenim cum contenderet Eunomius, trium in Deo personarum existentiam satis clare ac tuto ex scripturis non colligi, ut eum invictissimo argumento premeret s. Gregorius Nyssenus, sic fidenter ad Ss. Ecclesiae Patrum doctrinam compellabat: *Ad nostri sermonis demonstrationem sufficit quod habeamus a Patribus venientem ad nos traditionem velut haereditatem quamdam per successionem ab Apostolis, per Sanctos sequentes transmissam* (1). Habemus enim vero; suntque locupletissimi huius rei testes Clemens Romanus (2), Ignatius (3), Polycarpus (4), Iustinus (5), Athenagoras (6), et hi omnes quos legere Augustinus potuit, quosque fatetur hoc intendisse secundum Scripturas docere: *Quod Pater et Filius et Spiritus Sanctus unius eiusdemque substantiae inseparabili aequalitate divinam insinuant unitatem, ideoque non sunt tres Dii, sed unus Deus* (7).

V.

A personarum Trinitate ad earumdem consubstantialitatem sermonem convertentes iisdem ferme argumentis innitimur, ut Arianos et Macedonianos refel-

(1) Orat. 3.
(2) Ep. I. ad Corinth.
(3) Ep. ad Magnes.
(4) Apud Eus. 4 lib. hist. eccl.
(5) Apol. I.
(6) Legat. pro Christ.
(7) Lib. 1, de Trin., cap. 4.

lamus. Sicut enim Scriptura et traditio docent tres in Deo admittendas esse Personas, ita et evincunt has unam eamdemque sibi divinam naturam vindicare. Quare ut a Verbi divinitate exordiamur, Arianos in primis exagitamus splendida atque sublimi Ioannis oratione (1); tum simul in unum cum Hilario compingentes caetera quae ex Scripturis proferri contra adversarios possent, Deum, Dominum Nostrum Iesum Christum, his insuper modis nosse profitemur: *Nomine, nativitate, natura, potestate, professione.* Accedit Patrum traditio, quae ab Apostolorum aevo ad Nicaenam usque synodum ex ordine deducta, probat falso Curcellaeum, Clericum, Sandium, ac Iuriaeum Nicaenos Patres proditionis et novitatis insimulare ex eo quod definierint Verbum esse Patri consubstantiale. Tantum enim abest ut vox quae adhibita ab illis fuit, aliquid novi in Ecclesiam invexerit, ut quin immo viam omnibus Arianorum tergiversationibus praecluserit.

VI.

Tertia Trinitatis Persona est Spiritus Sanctus, qui a Patre et Filio per aeternam spirationem procedens, eamdem sibi cum illis naturam adstruit, eaquepropter vere est divina Persona. Haec dum adversus Graecos et Macedonianos propugnamus, simul monemus immerito schismaticos de addita a Latinis Constantinopolitano symbolo particula conqueri: per hanc enim adiectionem non deseruisse Latinos Nicaenam fidem, vel ex eo constat, quod hanc eamdem veritatem in duobus oecumenicis conciliis Lugdunensi II, et Florentino suscipientes Graeci; una cum illis de Spiritu Sancto decantarunt: *Qui ex Patre Filioque procedit.*

(1) Ioan. c. 1, vers. 1 et seq.

DE ANGELIS

I.

Ex multis creaturis quas omnipotenti sua virtute e nihilo Deum eduxisse constat, omnium nobiliores sunt Angeli, qui *substantiae* dicuntur *creatae spirituales completae. Creatos* enim a Deo Angelos esse, aperte declarat Apostolus (1): *spirituales* autem, scilicet omnis cuiuscumque corporeae concretionis expertes esse, auctoritas simul et ratio insinuant. *Completos* demum in se esse, nec ordinari sicut anima humana ad aliam substantiam, suadet incorporea ac perfectior eorumdem natura.

II.

Angelos existere negarunt olim Sadducaei, et recentiori aevo Anabaptistae, Hobbesius, Spinosa, et Voltairius, cuius opinio erat, Angelorum existentiam commentum esse a Chaldeis ac Persis invectum, et ab Hebraeis receptum. At iniquam hanc calumniam nullo negotio depellet, qui Moysis scriptorum omnium antiquissimi narrationes ob oculos habeat, vetustissimarumque gentium fidem, et in beatos illos spiritus reverentiam probe teneat. Laudant enim vero Scripturae passim ingentem Angelorum multitudinem,

(1) Ep. ad Colos., cap. 1.

eosque in diversos ordines seu choros distribuunt; suos et ipsi *genios*, quos vocant, celebrant Ethnici scriptores, eos in varias tribuentes classes.

III.

Quum tanta caelestes spiritus polleant intelligendi virtute, ut docente Angelico Doctore, se ipsos et alios, omnesque incorporeas substantias intime cognoscant, et Deum ipsum per similitudinem sibi repraesentare valeant (1); nihilhominus docent unanimiter Theologi, eos futura libera ac contingentia, interioresque hominum cogitationes nisi ex speciali Dei revelatione perspicere non posse: gratiae vero mysteria *in Verbo* quidem pro divinae voluntatis beneplacito, et variis quibus funguntur officiis videre; at naturali propriaque virtute haud cognoscere. Voluntate tandem eaque liberrima quum praediti sint, in eo pariter conveniunt, ut fateantur, Angelos suas sibi invicem cogitationes velut per quandam locutionem communicare posse, etsi valde inter se dissentiant dum inquirunt quomodo hoc illi praestare, et perficere queant.

IV.

Atque hinc quum Angeli ex Gregorio Papa (2) semper quidem Spiritus sint, sed tunc solum Angeli stricte dicantur quando Dei legatione funguntur; licet iuge ac praecipuum eorum officium sit Dei throno assistere, eiusque laudes decantare, hoc tamen non impedit quominus interdum huc in terras mittantur ad alia officia obeunda, praesertim vero ut hominum saluti

(1) 1 p., q. 56.
(2) Homil. 34 in Evang.

prospiciant. Quare Angelos hominum curam in universum gerere, nemo qui eos admittat, inficiatur; in controversiam autem quum veniat, num singulis hominibus singuli sint custodes Angeli deputati, tutissimae Patrum auctoritati adhaerentes contra Calvinum constituimus, singulis saltem fidelibus et electis singulos Angelos esse destinatos, eosque nedum licite, sed utiliter ab hominibus invocari et coli.

V.

Angelos a Deo non tantum creatos fuisse bonos, sed insuper gratia sanctificante exornatos, tradit inter alios Augustinus (1), cui suffragatur D. Thomas contendens sententiam hanc velut probabiliorem, ac magis sanctorum dictis consentaneam habendam esse (2). Verum quum non omnes diu multumque in accepta iustitia permanserint, sed eorum non pauci gravi se superbiae crimine coinquinaverint, inde exorta *Angelorum* ac *Daemonum* distinctio. Qui in accepta iustitia persstiterunt, priori nomine retento *Angeli* dicuntur, qui vero ab ea exciderunt, communi nomine *Daemones* appellantur. Horum princeps et caput diabolus, etsi alligatus a Christo fuerit, inquit Caesarius Arelatensis (3), tanquam canis innixus catenis, eaque propter neminem mordere possit, nisi eum, qui se illi mortifera securitate coniunxerit, tamen quum naturalem Daemonum virtutem non excedat pravas sensibus imagines obiicere, suoque imperio localiter movere corpora quaevis, in quibus insit naturalis quaedam

(1) Lib. 2 de Civ. Dei, cap. 2.
(2) 1 p., q. 62, a. 3.
(3) Seu quisquis auctor est Serm. 37 in Append. tom. 5, op. s. Aug.

efficientia, seu certos effectus producendi virtus: asserimus spiritus nequam Deo permittente etiam nunc homines tentare, eorumque corpora possidere posse: Protestantes vero quorum hac in causa agmen ducit Becker (1) dum hoc graviter negant, non solum male de Angelorum viribus sentire, sed et Christi et Apostolorum auctoritati detrahere.

(1) In op. cui tit. *Le monde enchanté.*

DE OPIFICIO SEX DIERUM

I.

Pauca iam ex Academiae nostrae instituto subiicienda nobis sunt de opificio sex dierum in quo maxime infinita Dei virtus elucet; eius siquidem omnipotentia manifeste resplendet ex his, quae ab initio operatus est, *in die quo fecit dominus caelum et terram* (1), *et legem posuit aquis ne transirent fines suos* (2); quare pro certo habentes virtutem educendi res per veram creationem e nihilo solius Dei propriam esse, contra Boulainvillierum, Rousseavium, Holbachium ceterosque incredulos statuimus, rerum eductionem e nihilo nullam contradictionem involvere; mundum autem a Deo reipsa intra sex dierum spatium conditum fuisse, parum de Philonis expositione solliciti, qui dum omnia simul condita vult, diesque a Moyse enumeratos non de dierum aliquot intervallis, sed de senario perfecto numero ad rerum ordinem servandum exponit (3), universae narrationi contradicit.

II.

Hinc autem si quaeras quaenam sint opera quae unaquaque die perfecta a Deo fuerunt, eum ordinem servandum ducimus, quem tradit Moyses. Nempe prima die fecit Deus lucem, eamque a tenebris divisit; se-

(1) Gen., cap. 2.
(2) Prov., c. 8.
(3) In lib. de mund. opif.

cunda die creavit firmamentum, ac per illud divisit superiores aquas ab inferioribus; tertia vero congregavit aquas in unum locum, et foecunditatem telluri tribuit. Ad diem vero quartam cum referenda sint duo luminaria magna, sol nimirum et luna, nec non stellae quas Deus, eodem testante (1), *posuit in firmamento caeli, ut lucerent super terram..... in signa et tempora, et dies et annos;* eos scilicet eventus praenunciarent, qui necessario ex caelestium corporum motu contingunt: miramur quosdam Genethliacorum praeiudiciis deceptos ea in sententia versari, ut etiam num doceant totidem haec a Deo in firmamento posita fuisse ut futuram hominum sortem portenderent. *Neque enim Moyses*, ad rem Augustinus (2), *illa signa dicit quae observare vanitatis est, sed utique utilia et huius vitae usibus necessaria: quae vel nautae observant in gubernando, vel omnes homines ad praevidendas aëris qualitates per aestatem, et hyemem, et autumnalem, vernalemque temperiem.*

III.

Caelo igitur exornato sole et luna, magnaque illa stellarum multitudine, quae nocte iam terram opacante nos in admirationem rapiunt, et mirum in modum recreant; iussit Deus die quinta aquis ut producerent pisces et aves, inquiens: *Producant aquae reptile animae viventis, et volatile super terram sub firmamento caeli* (3). Caietanus hebraici textus literam secutus, censet pisces solum ex aquis prodiisse, aves autem a Deo iussas tantummodo volare super terram. Verum

(1) Gen., cap. 1, vers. 16.
(2) Lib. 2 de Gen. ad lit. cap. 14.
(3) Gen., cap. 1, vers. 20.

quum haec expositio nec omnibus Hebraeis probetur, praestantiores autem interpretes contendant ibi adesse *ellipsim* relativi pronominis *quod*, ita ut verus legitimusque sensus sit: et volatile *(quod)* volet super terram; amplectimur et ipsi postremam hanc sententiam, quippequae magis ad Ss. Ecclesiae Patrum expositiones accedit.

IV.

Ad ipsam tellurem tandem se convertens Deus die sexta, non solum praecepit illi, ut produceret *omnem animam viventem in genere suo*, *iumenta et reptilia*, *et bestias terrae secundum species suas* (1); sed et hominem ex ea condens ad imaginem et similitudinem suam, ex hominis vero costa mulierem, *benedixit illis*, *et iussit ut crescerent*, *et multiplicarentur*, *et replerent terram et subiicerent eam* (2). Complevitque ita universum opus, *et requievit die septimo*, et benedixit diei illi, *sanctificavit eum* (3). Quibus postremis Moysis verbis dum, animadvertente Augustino (4), admonemur nihil Deum postea fecisse quod non aliquo modo praecesserit in primis operibus, simul etiam patet ante Adam neminem extitisse, ac propterea quod levioribus nonnullis coniecturis fretus de Praeadamitis propugnat Peyrerius (5), merum esse commentum quod et nullo sat firmo argumento innititur, et universae Moysis narrationi adversatur.

(1) Gen., cap. 1, vers. 24.
(2) Ibid. cap. 1, vers. 28.
(3) Ibid. cap. 2, vers. 3.
(4) Lib. 4 de Gen. ad lit. cap. 12.
(5) Peyrerius, praeadamitae sive exercitatio super vers. 12, 13, 14, cap. 15. Ep. ad Rom.

DE SACRAMENTIS GENERATIM

I.

Ubi felicissima advenit temporum plenitudo, Mosaicae legis Sacramenta a Christo Domino, cuius illa praenuntia erant, *ablata sunt, quia impleta; aliaque instituta virtute maiora, utilitate meliora, actu faciliora, numero pauciora, significatione praestantiora, quibus novi populi societatem colligavit* (1): Sacramenta haec convenienter humanae naturae instituit Christus in corporeis quibusdam seu rebus, seu actionibus, quarum ope invisibiles gratiae effectus exhiberet. Duae autem sunt veluti partes, quibus unumquodque constat novae legis Sacramentum, elementum et verbum, quae trito nunc vocabulo *materia* et *forma* congruenter appellantur, ducta a rerum naturalium principiis nomenclatione. Porro verba, quae in Sacramentorum confectione formae rationem habent non promissoria tantummodo sunt, aut concionatoria, ut perperam novatores contendunt, sed vere consecratoria, seu virtute praedita sanctificandi et consecrandi tum materiam sacramentalem, cui sanctitatis efficiendae vim tribuunt, tum personam Sacramentum suscipientem, quam ipsa verba cum materia coniuncta intrinsece et vere sanctificant; sicut ipsamet docet apud fideles pervulgata et recta Sacramenti novae legis definitio, ut res sit sensibus subiecta, quae ex divina institutione sanctitatis et iustitiae tum significandae, tum efficiendae vim habet.

(1) S. Augustin., lib. 19 contr. Faust. cap. 13.

II.

Hinc pronum est colligere, quam longe Mosaicae legis Sacramenta ab Evangelicis distent Sacramentis. Illa enim egena et infirma elementa cum essent, gratiam per se et virtute sua conferre non valebant, sed eam tantummodo a Christo conferendam significabant, quam Deus tamen in illo hominum statu fidei in venturum Redemptorem non denegabat. Contra vero novae legis Sacramenta ipsa per se, vique suae actionis gratiam et sanctitatem omnibus, qui obicem non ponunt, largiuntur. Haec est illa efficacia, quam Sacramentis novae legis asserit Concilium Tridentinum (1) tamquam fidei dogma decernens, gratiam per eam conferri *ex opere operato*. Hanc vocem ut novam, nec a Latinis Scriptoribus usitatam insulse rident novatores haud satis attendentes, commode inductam eam fuisse ad haereticos vitandos sensus, et ad tesseram catholicae doctrinae constituendam.

III.

Praeter vim efficiendae sanctitatis et iustitiae, quae Sacramentis omnibus communis est, peculiarem alium Baptismus, Confirmatio et Ordo pariunt effectum, nempe characterem instar signi cuiusdam spiritualis indelebiliter in anima impressi, quo fit ut tria illa Sacramenta iterari nunquam possint. Haec constans semper, tutaque fuit Ecclesiae catholicae doctrina, quam ut fidei veritatem propugnamus, missis variis de characteris essentia scholae opinionibus, quas turpiter Sarpius (2) ex perversa Synodum Tridentinam

(1) Sess. 7 de Sacram., can. 8.
(2) Ap. Card. Pallav. hist. Conc. Trid., lib. 9, cap. 5.

criminandi prurigine cum Catholica doctrina confundit, perinde ac si Tridentini Antistites novas circa characterem Scholasticorum opiniones ad fidei dogma evexerint.

IV.

Septem numero esse, nec plura nec pauciora, Novae legis Sacramenta videlicet Baptismum, Confirmationem, Eucharistiam, Poenitentiam, Extremam Unctionem, Ordinem, et Matrimonium, definivit Sacrosancta Synodus Tridentina sess. VII, de Sacr. can. 1. Hanc fidei definitionem generali, sed invicto *praescriptionis*, quod vocant, argumento propugnamus, *quod enim universa tenet Ecclesia, nec Conciliis institutum, sed semper retentum est, nonnisi auctoritate apostolica traditum rectissime creditur* (1).

V.

Singula haec Sacramenta a Christo Domino instituta fuisse, dogma pariter fidei est sapientissime a Tridentinis Patribus lato anathemate sancitum. Divina enim requirebatur vis ac potestas, sensibiles ut actus erigerentur adeo ac nobilitarentur, ut gratiam conferre possent ac sanctitatem. Quamvis autem in Tridentino canone nulla de *immediata* aut *mediata* Sacramentorum a Christo facta institutione mentio fiat, vix tamen temeritatis notam effugeret, qui a communi modo Theologorum sententia recederet, Christum nempe nullius Sacramenti instituendi potestatem Apostolis, aut Ecclesiae fecisse, sed *immediatum* fuisse omnium auctorem. Consulto autem Tridentini Antistites *imme-*

(1) S. Aug., lib. 4. contr. Donat., cap. 24.

diatam institutionem, quam pronum erat exprimere, reticuerunt, ne scilicet praeclarissimos Catholicae Fidei propugnatores aliter sentientes sub anathemate involvere viderentur.

VI.

Mysteriorum suorum *Ministros* et *Dispensatores* Viatores homines Christus constituit, eosque non omnes, etiamsi Christiani sint, Sacramenti cuiuslibet administrandi ordinaria pollere auctoritate voluit, sed illos tantummodo, qui consentanea ordinatione ad id muneris idonei fierent. Nihil autem refert ad Sacramenti veritatem, an fide, an probitate praediti sint, qui Sacramentum conficiunt, modo aptam materiam et formam adhibeant, nec non ritum, qua par est, ratione peragant, nempe cum intentione saltem virtuali faciendi quod facit Ecclesia.

VII.

Solemnis Sacramentorum administratio quasdam caeremonias adiunctas habet, quas vel Apostoli, vel ipsa per se Ecclesia instituit. Eas quidem pro facultate sibi a Domino tradita ut statuere, ita mutare potest Ecclesia, prout magis expedire iudicaverit. Non id tamen privato cuilibet liberum est. Unde iure ac merito a Tridentino Concilio (1) anathemate percellitur *qui receptos et approbatos Ecclesiae Catholicae ritus in solemni Sacramentorum administratione adhiberi consuetos, aut contemni, aut sine peccato a Ministris pro libito omitti, aut in novos alios per quemcumque Ecclesiarum Pastorem mutari posse dixerit.*

(1) Sess. 7 de Sacram., can. 13.

DE BAPTISMO

I.

Primum Sacramentorum novae legis, ac reliquorum veluti ianua est Baptismus, quo in vitam spiritualem gignimur, et in Christo nascimur, atque in Christianae Religionis societatem ingredimur. Huius Sacramenti materia, quam remotam appellant, est sola naturalis, seu elementaris aqua, sive ea salsa sit, sive dulcis, sive fontis, sive stagni, sive frigida, sive calida, quemadmodum nunc etiam a Graecis adhibetur. Id evincunt luculenter sacrarum scripturarum testimonia, quae perperam Calvinus ad metaphoricum detorquet sensum, cui perpetua et constans obstat omnium aetatum vel ab ipso Apostolorum tempore descendens traditio, et fides. Ut autem sua constet Baptismo virtus, nihil interest sive immersione, sive infusione, sive aspersione una vel trina ipse conferatur, modo vero fiat ablutio cum expressa et distincta trium personarum sanctissimae Trinitatis invocatione, ut Christus ipse praescripsit, discipulos suos sic alloquens: *Euntes, docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti* (1).

II.

Baptismum, nisi eius vices suppleant, aut votum

(1) Matt., cap. ult.

cum charitate coniunctum, aut martyrium pro Christi nomine toleratum, omnino necessarium esse, maiori claritate Christus exprimere non potuit quam verbis illis: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, et Spiritu Sancto, non potest introire in regnum Dei* (1); quae verba non Iudaeos tantummodo respiciunt, vel Ethnicos: sed omnes futuros homines cuiuscumque fuerint status, generis, aut conditionis, quemadmodum perpetua et constanti Ecclesiae doctrina et praxi evincitur; nam Baptismus non tam est christianae professionis symbolum, quo fideles ab infidelibus secernantur; sed magis est medium seu instrumentum regenerationis, renovationis, et liberationis a peccato cuius nemo expers nascitur; proindeque nisi sacri ope lavacri (martyrio aut voto excepto) quis mundetur, vitam consequi non potest beatam et aeternam.

III.

Gravi adeo inspecta Baptismatis necessitate, suffragante etiam apostolica traditione, Ecclesia catholica pueros nondum usu rationis pollentes baptizare consuevit; quod nedum fas esse, sed vel maxime expedire contendimus. Nec tamen licet infidelium filios adhuc usu rationis carentes, parentibus invitis, baptizare: quod de illorum infidelium infantibus intelligendum, qui aut liberi sunt, aut civiliter tantum serviunt, aut patria non exciderunt potestate.

IV.

Quamvis baptizandi solemni ritu ordinaria potestas

(1) Ioan., cap. 3.

solis competat Sacerdotibus, extraordinaria vero solis Diaconis; ambigendum tamen non est, quin necessitate cogente, valeant etiam quicumque de populo, sive mares, sive foeminae, sive fideles, sive infideles, sine solemnibus caeremoniis Baptismum conferre: in quo profecto summam Domini nostri bonitatem et sapientiam licet admirari, qui in Sacramento tantae necessitatis, ut est hominis ad vitam spiritualem regeneratio, *instituit, ut et materia sit communis, scilicet aqua, quae a quolibet nullo negotio haberi potest, et minister, etiam sit quicumque non ordinatus, ne propter defectum Baptismi homo salutis suae dispendium patiatur* (1).

V.

Praeter gratiam et characterem alii sunt iique praestantissimi effectus Baptismi, quibus ex ordine recensitis, *vides*, inquit S. Ioannes Chrysostomus, *quot sint Baptismatis largitates. Et nonnulli deputant caelestem gratiam in peccatorum tantum remissione consistere; nos autem honores computavimus decem* (2). Illos nos ad duo capita revocantes contra novatores ostendimus: 1° per Baptismum non tantum tegi aut non imputari, sed funditus deleri omnem sive originalis, sive personalis Baptismum praecedentis culpae reatum; 2° omnem etiam per Baptismum auferri sive aeternae, sive etiam temporalis poenae reatum. Hinc perspicuum est Baptismum Christi Ioannis Baptismo longe praecellere. Siquidem Baptismus Ioannis homines tantum ad poenitentiam adducebat, sed non valebat ipse per se, ac virtute sua, peccatorum remissionem, et iustitiam afferre.

(1) S. Th., 3 p., q. 67.
(2) Hom. ad Neoph.

DE CONFIRMATIONE

I.

Alterum post Baptismum novae legis Sacramentum est Confirmatio, quae est ipsius Baptismi quasi perfectio et complementum, quatenus Deus in nobis confirmat, quod in baptismate operari coepit, nosque ad Christianae soliditatis perfectionem adducit. Huius Sacramenti virtute fideles baptizati fiunt quasi Christi milites Spiritus Sancti plenitudine roborati ad Christi fidem aperte, strenueque profitendam. Ut in universa Sacramentorum provincia, sic contra huius Sacramenti veritatem pessime novatores debacchantur omni idcirco argumentorum genere a nobis revincendi.

II.

Catholici ex perpetua Ecclesiae traditione fatentur hoc Sacramentum administrandum esse per manus impositionem, et sacri Chrismatis unctionem, in proferendo tamen de alterutrius materiae essentiali necessitate iudicio valde inter se dissentiunt; aliis in sola

manus impositione, aliis in sola sacri olei inunctione, aliis denique in utraque simul coniuncta essentialem Confirmationis materiam constituentibus. Postremam nos sententiam eo libentius amplectendam existimamus, quo propius ad veritatem videtur accedere, et gravissimorum Patrum auctoritate fulciri.

III.

Ad ministrum Confirmationis quod attinet, certum et constitutum est apud omnes solum Episcopum huius Sacramenti conficiendi ordinariam habere potestatem. Extraordinarius tamen esse potest simplex Presbyter, ut patet tum ex antiquissima totius Orientalis Ecclesiae consuetudine et disciplina nunquam ab Ecclesia Latina condemnata, sed potius, saltem tacite, comprobata: tum ex dispensationibus, quas identidem Romani Pontifices fecerunt, simplices ut Sacerdotes hoc Sacramentum conferrent.

DE IUSTITIA ET IURE

I.

Iuri, quod hic sumitur pro facultate aliquid agendi, vel habendi, sua respondet obligatio consentaneus eiusdem effectus, unde ius, et obligatio dicuntur correlata, quia alterum sine altero esse nequit. Facultas ista, ut verum ius pariat, legitima sit oportet, seu a recta ratione descendens ut proinde absurda sit eorum sententia, qui omne ius et obligationem sola potentia physica definiebant, ut erat ille, qui (1) aiebat: « Id in summa fortuna aequius, quod validius ». Ius aut circa personas versatur, aut circa res: illud auctoritas, imperium, aut iurisdictio, hoc appellari consuevit dominium aut proprietas, quo pacto veniunt omnes rebus utendi species, quae dominio subsunt. Huc spectant, quae habet Iustinianus (2): « Omne autem ius quo utimur vel ad personas pertinet, vel ad res, vel ad actiones » seu, ut alii explicant, ad obligationes.

(1) Vid. Tacit., annal. 15.
(2) Lib. 2 institut., tit. 2.

II.

Revera Deus condidit homines sociales; uti demonstrant communis eorum propensio ad sui similes, facultates inditae seu animae, seu corporis, ac praesertim ratio et oratio egregia socialitatis instrumenta, quibus communicare invicem possunt necessitates, quibus subsunt, ad conservandam vitam, commoda et bona, quae inde proveniunt, propagatio generis humani, quae nisi per consociationem aliquam haberi nequit ac tandem ipsa cognatio naturae inter se se, et derivatio omnium ab eodem principio. Ut proinde ex Dei ipsius voluntate status societatis non solum sit convenientis perfectionis, sed etiam necessitatis, quia sine illa natura conservari non potest, et erraverit Hobbesius (1), quando homines sibi invicem infensos natura traducebat, eorumque statum naturalem esse statum belli.

III.

Iamvero haec societas consistere nequit sine ordine, quo hominum facultates et vires ad consentanea societatis officia, et bona dirigantur, secus perturbatio inesset nullaque in commune bonum consensio. Huiusmodi autem ordo inter homines haberi nequit sine regimine aliquo, seu iure auctoritatis quo spectat generale illud principium veteribus agnitum: *ubi societas, ibi ius* atque adeo officia eidem adnexa. Hinc enascitur iustitia, quae advigilat societatis bono praecipiens, ut iura illa omnia et officia iisdem respondentia adamussim impleantur. Quae iustitia utpote veris regendi iuribus, et parendi obligationibus innixa non homini ar-

(1) Lib. de civ.

bitraria est, atque fictitia, sed constans et immutabilis ex ipsa Dei voluntate, qui ut societatem voluit esse, et recte administrari, sic et iustitiam obtinere, sine qua nulla consistit societas.

IV.

Ea propensio ad societatem a natura homini ingenita, quippequae inutilis et otiosa esse non poterat, eundem ad mutuam consociationem impulit. In mundi primordiis prima omnium societas fuit coniugalis ex Dei voluntate aientis (1): « Non est bonum hominem esse solum, faciamus ei adiutorium simile sibi ». In hac societate praeter illa iura et officia, quae pendent ex duplici eius fine, quem indicavit Deus (2), sunt et alia, quae apertiorem dirigendi potestatem involvunt cui respondet parendi officium. Vir enim utplurimum utpote maiore prudentia, praestantiore animi et corporis robore a natura donatus, aptior est illius societatis regimini et laboribus subeundis, quare in ipso agnoscenda est praeeminentia quaedam quae imaginem aliquam et initium auctoritatis praesefert, cui ex parte uxoris respondere debent consentanea officia. Quod docet revelatio tradens virum a Deo directe conditum, mulierem propter virum, ut esset in eius adiutorium (3). Unde Paulus Apostolus aiebat (4): « Mulieres viris suis subditae sint . . . quoniam vir caput est mulieris ».

(1) Genes., c. 2, v. 18.
(2) Ibid. c. 1 et 2.
(3) Ibid.
(4) Ephes., c. 5, v. 22-23.

V.

Ex coniugali altera extitit societas, quae domestica dicitur et familiae coalescens ex parentibus et filiis, qui eorum lateri adhaerent. In hac societate adest patria potestas, seu ius et facultas congrua filios dirigendi, quae utrique parenti competit, nixa naturae instituto, ab omnibus gentibus agnita, et huius societatis conservationi, et bono maxime necessaria. Patria ista potestas, non in nuda physica vi est posita, atque arbitrio, sed in facultate morali, seu consentanea rationi qua uterque parens, et praecipue pater veram quaerat utilitatem filiorum in educatione, institutione et disciplina. Quae omnia cum ex ordine rationis sint, et ad bonum eius societatis pertineant, satis liquet non a legibus civilibus profluere, uti contendebat Hobbesius (1), sed ab ipso Deo, qui ut voluit humanum genus conservari, et ad propriam perfectionem adduci, ita posuit in naturae ordine necessariam ad illud effectum obtinendum potestatem. Huic patriae potestati respondet in filiis obligatio parentibus obsequendi, quo spectat divinum praeceptum de honore parentibus exhibendo (2).

VI.

Quia vero aucto hominum numero immensa cupiditatum agmina, quibus ipsorum vitiata natura assidue agitatur, tum infinita discrimina virium ingeniorum, ac similia spem nullam relinquebant, fore ut sibi soli relicti eam valerent servare animorum unitatem, quam natura praescribit, communis et omni-

(1) Cit. lib. de civ.
(2) Exod., c. 20, v. 12.

bus ingenita felicitatis ratio suasit, ut in maiorem aliquam ac tandem in civilem societatem confluerent. Haec autem societas esse non potest sine publicae auctoritatis praesidio, seu potestate aliqua imperante, quae non solum repugnantia vitia cohibeat, sed et omnia dirigat ad commodum publicum: quem finem, ut assequatur, ea praescribenda, quae ad securitatem tum totius societatis, tum particularem civium, tum rerum et iurium pertinent, quae cuiusque sunt, et ex vi publica coactio seu comminatio poenae adiungenda, ut homines fortius excitentur ad ea omnia servanda, quod nisi per leges fieri nequit. Quaecumque autem legibus statuuntur, ea debent peculiaribus casibus applicari, et rursus saepe in iisdem constitui, an quis vere ea servaverit in datis adiunctis per actum aliquem, an violaverit, quod peculiarem determinationem, seu potestatem iudiciariam requirit.

VII.

Ut leges et iudicia suum sortiantur effectum, ea in societate requiritur potestas, qua subditi ad ea servanda, quae sunt statuta, cogantur, ubi opus fuerit. Qui enim publico regimini praeest, eam potestatem in proprio ordine habere debet, qua publica societas servari possit. Porro cuilibet in vetita ruendi hominum proclivitatem attendenti patebit: leges civiles sanctione quadam poenali munitas esse oportere, quae extendatur etiam ad poenam mortis ex natura et officio societatis, quando id prudenter existimatur necessarium, ut quaedam graviora crimina impediantur, quibus concuti societas possit, aut everti. Ad hanc potestatem alludebat Paulus, quando ad Romanos scri-

bens aiebat (1): « Non enim sine causa gladium portat; Dei enim minister est, vindex in iram ei, qui malum agit; » et rursum cum in coetu publico de se ipso aiebat (2); « Si dignum morte aliquid feci, non recuso mori ».

VIII.

Ius personale seu auctoritatis alterum consequitur, quod reale appellatur, seu dominii. Deus enim, qui in hominis creatione humanae speciei conservationem et bonum voluit, tale ius in res eidem concessit, ut iis uti posset, quae ad conservationem, utilitatem et commodum pertinent, ex recta ratione. Hinc dominium locum habuit, facultas nempe de re aliqua perfecte disponendi, nisi lex aut conventio obsistat. Quae facultas ad res quascumque telluris extenditur, uti novimus ex divinis eloquiis (3), ubi mundo per diluvium reparato Deus Noëmo, eiusque filiis cuncta animantia in cibum tribuit dicens: « Omne quod movetur et vivit, erit vobis in cibum, quasi olera virentia tradidi vobis omnia ». Quum Deus hoc ius omnibus hominibus contulerit, hinc quilibet est dominio aptus, nisi aut lege, aut propria voluntate arceatur; absurdus ergo erat ille damnatus error Wicleffi et Ioannis Hus, quo contendebant, in gratia et charitate dominii titulum esse reponendum per eam propositionem: « Nullus est dominus civilis, nullus praelatus, nullus episcopus dum est in peccato mortali ».

(1) Rom., c. 13, v. 4.
(2) Act., c. 25, v. 11.
(3) Genes., c. 9, v. 3.

IX.

Quum clerici rerum temporalium dominio semet non abdicaverint, uti Regulares, nec status clericalis cum hoc iure pugnet, in bona patrimonialia plenum ipsis et perfectum dominium vindicamus contra errorem Waldensium et Wicleffitarum. Bonorum vero Ecclesiasticorum clericos « non tamquam dominos, sed tamquam ministros et dispensatores » esse habendos sentimus, adeoque quidquid eorum victui et cultui superfuerit, non charitatis tantum, sed iustitiae titulo in pios usus esse erogandum. Quod docebat Gregorius Magnus asserens (1), redditus ecclesiasticos esse *pauperum res*, ideoque clericos *non ut suas, sed dispensandum habere*, et sanctus Bernardus (2) per ea verba: « Quidquid praeter necessarium victum et simplicem vestitum de altari retines, tuum non est, rapina est, sacrilegium est ».

X.

Deus, qui res omnes terra marique contentas hominis potestati et dominationi subiecit, eidem in vitam suam dominium denegavit, solumque usum concessit. Revera « vita est quoddam donum divinitus homini attributum, et eius potestati subiectum qui occidit, et vivere facit. Et ideo, qui seipsum vita privat in Deum peccat, sicut qui alienum servum interficit, peccat in dominum, cuius est servus; et sicut peccat ille, qui usurpat sibi iudicium de re sibi non commissa; ad solum enim Deum pertinet iu-

(1) Lib. 5, epist. 15.
(2) Epist. 2 ad Fulcon.

dicium mortis et vitae (1) ». Ne ergo Dei iura violemus: « Retinendus est animus in custodia corporis, nec iniussu eius, a quo ille est nobis datus, ex hominum vita migrandum est, ne munus humanum assignatum a Deo defugisse videamur (2) ».

XI.

Quae de vita, eadem de corporis membris congrua proportione sunt intelligenda; eorumque integritate et incolumitate servandis, nisi forte ad vitae conservationem membri alicuius abscissio requiratur, qua in specie licita illa erit, quum membrum utpote totius corporis pars sit propter totum, uti egregie ratiocinatur sanctus Thomas (3). Fama, seu bona existimatio apud alios virtute parta, per se eius, qui eam possidet, dominationi subest, utpote eius laboris et virtutis fructus. Si tamen fama nostra alicui peculiariter mancipata sit, aut eius imminutio in aliorum detrimentum vergat, nefas erit voluntariam eius iacturam pati. Quo sensu aiebat Augustinus (4): « Nobis necessaria est vita nostra, aliis fama nostra; et legimus in divinis eloquiis: Curam habe de bono nomine: hoc enim magis permanebit tibi quam mille thesauri pretiosi (5), providentes bona non tantum coram Deo, sed etiam coram omnibus hominibus (6) ».

(1) S. Thomas, 2, 2, q. 64, art. 5.
(2) Cic. in somnio Scipion.
(3) 2, 2, q. 65, a. 1.
(4) Lib de bono viduit. cap. 1.
(5) Eccl., c. 41, v. 15.
(6) Paulus ad Rom., c. 12, v. 17

XII.

Deus statim a mundo condito ius hominibus fecit utendi, fruendique rebus telluris ut se, vitamque conservare, et tueri possent, adeo ut unusquisque ad suos usus arriperet, quod vellet, quin ulli ius esset alterum excludendi; cum vero haec communio negativa, quae inter paucos homines eosque virtutis amatores commode et pacate servatur in magno hominum numero praesertim non bene moratorum sine maximo incommodo perpetuisque dissidiis consistere non possit, adulto hominum genere, nequiverunt ipsi in ea persistere primaeva rerum communione, resque pene omnes iure humano in proprietatis dominium concesserunt, gradatim tamen, prout hominum multitudo ac rerum ipsarum natura, et indoles visae sunt requirere: quae omnia postea, ut sic obtinerent, publica auctoritate confirmatum fuit. Hinc dominii acquirendi modi, seu tituli, quorum primus est *occupatio*, per quam rem nullius apprehendimus, cum rationi prorsus sit consentaneum, ut res nullius occupanti cedat. Rebus quas quis occupavit, possunt accessiones fieri aut propria vi, aut a causa extrinseca, aut hominis industria, hinc alter probatus fuit titulus, quo dominium acquiratur, seu *accessio*.

XIII.

Cum quis res nullius occupavit, aut per accessionem suas fecit, aequum est, ut de iis disponere possit, earumque dominium in alios transferre, hinc tituli transferendi dominii inter homines inducti, cuiusmodi sunt traditio, et varii eius modi. Fieri tandem poterat, ut quod quis apud se habebat tamquam

suum, ex aliquo titulo sibi ignoto ab altero impeteretur, sicque incerta manerent dominia et possessores immortali prope timore de rebus suis tenerentur, ad hoc malum avertendum iure Romano receptum fuit, ut *praescriptione* vel *usucapione* transferretur dominium in possessorem quod etiam iure canonico probatum novimus. Titulus iste utpote iusta de causa inductus quando debitae adsunt conditiones, suam vim sortitur etiam in foro conscientiae, cum iure humano dominia invecta sint, adeoque ex eadem causa obtinere debeant modi aut modorum dispositiones, quibus illa consistant aut transferantur.

XIV.

Duas priores iuris partes tertia consequitur, quae ad actiones pertinet, seu obligationes (1); plures enim occurrere possunt causae, quarum vi alter alteri aliquid debeat ex peculiari aliquo facto, unde existit obligatio ex una parte aliquid praestandi, cui ex vi correlationis respondet in altera ius illud exigendi. Quia vero iustitia postulat, ut ius suum cuique tribuamus, hinc existit restitutio, qua vel res aliena domino redditur, vel damna illata compensantur. Fontes, ex quibus enascitur ista obligatio, ad quatuor capita revocari possunt, contractum et quasi contractum, qui ea omnia complectuntur, de quibus recte et valide potest ab hominibus contrahi, vel obligatio honeste suscipi per aliquod opus, vel officium: delictum, et quasi delictum, quae continent ea omnia, in quibus potest alterius ius violari, sicque eidem

(1) Thess., c. 1.

damnum inferri. Hoc autem variis modis fieri posse, docet sanctus Thomas (1), his duobus versiculis:

Iussio, consilium, consensus, palpo, recursus:
Participans, mutus, non obstans, non manifestans.

XV.

Ea in quibus alterum quis laedere potest, quaeque restituendi obligationem pariunt reducuntur non tantum ad animi, corporis, famae, sed et ad fortunae bona: etsi enim rerum divisionem et proprietatem nec prohibeat, nec praecipiat natura, ubi tamen ex hominum consensu dominia sunt inducta et constituta, sua cuique rationabiliter invito res surripi nequit per naturae legem, quae ius legitimis possessoribus tribuit suas res retinendi, vetuitque aliis quominus res illas surriperent nisi quis extrema prematur necessitate, quia in hoc casu reviviscit pristina rerum communio saltem quoad usum neque rerum divisio iure gentium invecta derogare potest summo illi iuri, quod quisque a Deo accepit, ut suam vitam tueatur; aut agatur de iusta compensatione per quam ubi debitis stipata sit conditionibus, nec ullum ius violatur neque alienum surripitur, sed suum repetitur.

(1) 2, 2, q. 60, a. 7.

V. Ex deleg. D. D. Archiep. Ghiringhello.

V. Melano Praeses.
V. Fantolini a Consiliis.
V. Zappata a Consiliis.

Imprimatur.
PEYRON Moderator.

INDEX

De Deo eiusque cultu et fundamentis Religionis revelatae pag. 3
De libris historicis V. T. a Iosue ad Babylonicam usque captivitatem . . . . » 30
De Verbo homine facto et de Christiana Religione . » 47

THESES SORTE EXCERPTÆ

De augustissimo Trinitatis mysterio . . . . . » 72
De Angelis . . . . » 76
De opificio sex dierum . . . . » 80
De sacramentis generatim . . . . » 83
De Baptismo . . . . » 87
De Confirmatione . . . . » 90
De iustitia et iure . . . . » 92